

February 1977

W

416 010 135 000 16



APPENDIX
FESTORUM
EXTRA-ORDINARIORUM

AD USUM

MONASTERII
BEATISSIMÆ VIRGINIS


MARIÆ

DE

ALDERSPACH.

DE ANNO

M. D. CC. XXXIX.



LANDISHUTI

Typis Simonis Golowiz.



E*Xtractus Litterarum Illustriss. D. Generalis de licentia Monasterio Waldsasseni concessâ recitandi officia extra-ordinaria B. V. M. dat. Cistercii 5. Martii 1734.*

&c. R. D. Abbati Waldsasseni, & Monasterio suo fas sit, publicæ Diœcesis suæ devotioni se conformare in celebratione novorum, seu extra-ordinariorum Festorum B. V. Mariæ haud dubiè à S. Sede Apostolica approbatorum. Attamen ne ex ejusmodi Festorum multiplicitate, & novitate Cisterciensis Officii nostri rubrica, & ordo nimium confundantur, attendendum: pro quo evitando Dominicæ simplices, vel aliæ Mensis dies non impeditæ deligendæ videntur. &c.

JANUARIUS.

VII. Jan.

In Festo S. Valentini Episcopi & Confess. Patroni Diocesis, Passav. M. M. Maj.

In secundis Vesp. Epiphaniae Domini Commemoratio. Sancti Valentini. Anima, Sacerdos & Pontifex &c. &c. Amavit eum Dominus &c.

Oratio.

Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis per B. Valentini Confessoris tui, atque Pontificis merita gloriosa, & ut ejus pia intercessione ab omnibus protegatur adversis. * Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

IN MATUTINIS.

Omnia de Communi Confess. Pont. præter sequentia.

Lectiones I. Nocturni.

Laudemus Viros gloriosos &c. *uti habentur in Officio Conf. non Pontif.*

Lectiones II. Nocturni.

Leet. V.

Valentinus vitæ Sanctitate insignis ab Oceano ad Patava oppidum, nunc Passavium, venit, ubi genti à vero Dei cultu alienæ verbum vitæ prædicaturus, Romam petiit, ut ad prædicandi munus Apostolica interveniret Authoritas, Reversus

inde & jussu Pontificis pium opus aggressus, animas, quantum salutem mirè siciebat, assidua verbi divini prædicatione Christo lucrari, diu multumque conatus est.

VII.

Verum, cum Semen Verbi salutiferi velut in petram, frustra se spargere videret, Romam rediit, petens, se ad alium populum, facientem fructum ejus, mitti. Sed Valentinus à Pontifice Episcopus ordinatus, ac ut Apostoli Exemplo, adhuc ibidem prædicando opportunè importunè instaret, remissus est; facultate ipsi data, post irritos tandem labores ad alias gentes conigrandi.

VII.

Cum igitur S. Episcopus spiritu Dei fervens, muneri suo iterum ardentè insistere, & Batavos ad viam veritatis traducere laboraret, illi, Arrianorum accedente perfidia, hanc prædicandi instantiam non ferentes, eum è finibus suis excedere coegerunt.

VIII.

Quare Vir Dei Rhetias peragrans, hominum salutis, ubique prædicando, quam maxime studebat. Tandem in montana se contulit, ubi multis

pro Christo laboribus perfunctus, ingentique animarum fructu reportato, vitæ suæ terminum præsciens, beato fine quievit, in vita & post mortem miraculis clarus. Ejus corpus in Castro Majensi in alpibus sepultum, ad Batava tandem uti propriam sedem, unde vivens exultaverat, honorificè translatum est.

Lectio III. Nocturni.

Homilia in Evangelium: Homo per egrè proficiens &c. uti habetur in Communi Confess. Pontif.

IN LAUDIBUS.

Omnia de Communi ut suprâ. Oratio ut suprâ, cum Commemorat. Epiphania, ut habetur in Breviario.

AD HORAS MINORES.

Omnia ut suprâ de Communi cum Oratione propria.

AD VESPERAS.

Omnia sunt de sequenti Festo Sanctissimi Nominis JESU, cum Commem. S. Valentini, & Octav. Epiphania.

XXIII. Jan.

In Festo Desponsationis B.

V. Mariæ cum S. Josepho.

M. M. Maj.

Omnia præter sequentia, dicuntur ut in Nativitate 8. Septembris, vel Conceptione ejusdem B. V. M. 8. Decembris, mutato nomine Nati-

vitas, vel Conceptio in nomen Desponsatio.

Oratio.

OMnipotens, & mitissime DEus, qui Beatum Joseph justum Filium David, Beatæ Mariæ Virgini Matri tuæ Sponsum providisti, & tuumque Nutritium elegisti, * da quæsumus, ut ejus precibus, & meritis, Ecclesia tua tranquilla pace lætetur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducatur. Qui vivis, &c.

IN I. NOCTURNO.

Incipiunt Cantica Canticorum.

Lectio i.

Cap. I.

OSculetur me osculo oris tui: quia meliora sunt ubera tua vinò, & fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: idèò adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabitur in te, memores uberum tuorum super vinum: resti diligunt te.

v. Desponsatio tua, &c.

Lectio ii.

NIgra sum, sed formosa, filia Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considera-

re,

re, quòd fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii Matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

℞. Beatissimæ Virginis, &c.

Lectio iii.

SI ignores te, O pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum. Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis; colum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argentô.

℞. Hodie desponsata est, &c.

Lectio iv.

Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulchra es, dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus; tigna domo-

rum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

℞. Benedicta, & &c.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Patris nostri

Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 2. super Missus est.

Lectio v.

OPortebat à Principe mundi aliquamdiu celari Divini consilii Sacramentum: non quòd DEUS, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret; sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quæcunque voluit, fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit; ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit.

℞. Gloriosæ Virginis, &c.

Lectio vi.

Conveniens ergò erat, ut suaviter quoque omnia, cælestia scilicet & terrena, disponeret, quatenus & illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: & hic debellaturus invidum, nobis prius suæ hu-

militatis, & mansuetudinis valdè
necessarium exemplum relinque-
ret, sicque mirabili fieret mode-
ramine Sapientiæ, ut & suis sua-
yis, & hostibus fortis appareret.

R. Corde, & animo, &c.

Lectio vii.

Quid enim prodesset diabo-
lum à Deo vinci, nobis
manentibus superbis? Ne-
cessariò igitur desponsata est Ma-
ria Joseph, quando per hoc & à
canibus sanctum absconditur, &
à sponso virginitas comprobatur,
& virginis tam verecundiæ parci-
tur, quàm famæ providetur.

R. Regali ex progenie, &c.

Lectio viii.

Quid sapientiùs; quid dig-
niùs Divina Providentiâ;
Uno tali consilio secretis
cælestibus, & admittitur testis; &
excluditur hostis; & integra ser-
vatur fama Virginis Matris.

R. Fulcite me floribus, &c.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Beata progenies, unde
Christus natus est! O quàm
Gloriosa est Mater, quæ coeli Re-
ginam genuit, &c.

Lectio Sancti Evangelii
secundùm Matthæum,

Lectio ix. Cap. I.

Cum esset desponsata Mater
Jesu Maria Joseph, ante-
quam convenirent, inven-
ta est in utero habens de Spiritu
Sancto. Et reliqua.

Homilia Sancti Patris no-
stri Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 2. super Missus est.

Missus est, ait, Angelus Gabri-
el à Deo ad Virginem despon-
satam Joseph? Cùm esset,
inquam, virgo electa, virgo con-
ceptura, virgo paritura, mirum,
cur desponsata fuerit, non nuptu-
ra. Numquid vel hoc casu factum
quis dixerit? Non est casu factum,
quod rationabilis causa commen-
dat, causa valdè utilis, & neces-
saria, & Divini prorsus adinven-
tione consilii digna. Mos siqui-
dem Judæorum erat; ut à die de-
sponsationis suæ usque ad tempus
nuptiarum, sponsis sponsæ trade-
rentur custodiendæ, quatenus ea-
rum ipsi eò sibi pudicitiam curio-
siùs servarent, quò sibi ipsi fide-
liores existerent.

R. Desponsationem hodiernam
&c.

Lectio x.

Joseph Mariam sibi despon-
sando, ejusque conversatio-
nem in tempore custodiæ
stu-

studioſius comprobando, factus eſt pudicitiae fideliffimus teſtis. De matris enim continentia infirmus facilius crediderit ſponſo ejus cuſtodienti & experienti, quam ipſi quoque virgini de ſola ſua conſcientia ſe defendenti. Dic, quaſo quis eam videns non deſponſatam, & gravidam, non potius diceret meretricem, quam virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius verò, atque honeſtius fuit putari ad tempus Chriſtum de conjugio fuiſſe natum, quam de fornicatione.

R. Quam pulchra, &c.

Leſtio xi.

Sed quare Joſeph vir ejus, cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam? Accipe & in hoc, non meam, ſed Patrum ſententiam. Propter hoc Joſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens: Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum; propter quod & Centurio à domo ſua eum prohibebat, cum diceret: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Ita ergò & Joſeph indignum, & peccatorem ſe reputans, dicebat intra ſe, à tali, & à tanta non debere ſibi ultra fa-

miliare praestari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem.

R. Deſponſatio glorioſae, &c.

Leſtio xii.

Videbat, & horrebat Divinae praesentiae certiffimum geſtanteſ inſigne, & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem; expavit Centurio praesentiae majeſtatem. Exhoruit nimirum & Joſeph ſicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, myſterii profunditatem, & idè occultè voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palam? Ne, videlicet, divortii cauſa inquireretur, & ratio exigeretur. Quid enim vir juſtus reſponderet populo durae cervicis, populo non credenti, & contradicenti? Si diceret, quod ſentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli, & crudeles Judaei ſubſannarent illum, lapidarent illam? Meritò ergò vir juſtus, ne aut mentiri, aut diffamare cogereſt innoxiam, voluit occultè dimittere eam.

R. Beata progenies, &c.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Matthaeum.

Cap.

Cap. I.

CUM esset desponsata Mater JESU Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David! noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

Oratio. Omnipotens, & mitissime, &c.

Missæ ut in Supplemento Missalis nostri novissimè edito.

XXVI. Jan.

In Festo S. ALBERICI

II, Abbatis Cistercii.

MM. Maj.

AD VESPERAS.

Omnia de Communi Confessoris, non Pontif. præter sequentia.

Oratio. Intercessio nos, quasumus. Commem. Convers. S. Pauli, S. Petri, & S. Polycarpi, tant.

In I. Nocturno *Lectiones.*
Laudemus viros, *de communi.*
& Euge serve, *cum reliq.*

In II. Nocturno.

Ex Cap. IX, & sequentibus parvi Exordii Cisterc.

Lectio V.

VIduata suo Pastore (Roberto) Cisterciensis Ecclesia convenit, ac regulari electione quemdam Fratrem, Albericum nomine, in Abbatem sibi promovit, virum scilicet litteratum, in Divinis & humanis satis gnarum, amatorem Regulæ, & Fratrum, quique Prioris Officium & in Molismensi, & in illa diutius gerebat Ecclesia, multumque diu nitendo laboraverat, ut ad illum de Molismo transmigrarent locum, & pro hoc negotio multa opprobria, carcerem, & verbera perpeffus fuerat.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum.

ψ. Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum, * Et ad portas.

Lectio VI.

CUrâ pastoralis, licet multum renitens, susceptâ, cogitare coepit, veluti vir mirabilis

bilis prudentiæ, quæ tribulatio-
 -num procellæ domum sibi credi-
 -tam aliquando concutientes vexa-
 -re possent: & præcavens in futu-
 -rum cum consilio fratrum trans-
 -misit Monachos duos, Joañem,
 & Ilibodum Romam, Dominum
 Paschalem per os exorans, ut Ec-
 -clesia sua sub Apostolicæ prote-
 -ctionis alis quieta & tuta, ab o-
 -mnium Ecclesiasticarum, sæcula-
 -riũve pressura personarum per-
 -petuò sedaret: qui Fratres Ro-
 -mam prosperè ierunt, & redie-
 -runt reportantes ejusdem Aposto-
 -lici Privilegium juxta votum Ab-
 -batis Sociorumque ejus per om-
 -nia exaratum Trojæ decimo quar-
 -to Calendas Maij, anno ab Incar-
 -natione Domini millesimo cen-
 -tesimo.

R. Magnificavit eum in con-
 -spectu Regum: * Et dedit illi co-
 -ronam gloriæ.

Y. Statuit illi testamentum sem-
 -piternum, & beatificavit illum.
 * Et dedit illi.

Lectio vii.

Dehinc Sanctus Abbas, &
 Fratres ejus non in memo-
 -res sponsionis suæ, Regu-
 -lam Beati Benedicti in illo loco or-
 -dinare, & unanimiter statuerunt
 tenere, rejicientes a se, quidquid
 tam in victu, quam in vestitu pu-

ritati Regulæ advenfabatur: Sic-
 que exuti veterem hominem, no-
 -vum se induisse gaudebant, ita ut
 spretis sæculi divitiis, cœperint
 cum paupere Christo esse paupe-
 res Christi milites, in tantum, ut
 ferè omnes videntes & audientes
 vitæ eorum asperitatem insoli-
 -tam, & quasi inauditam plus cor-
 -de & corpore elongare, quam eis
 -approximare se festinabant, & de
 -perseverantia ipsorum titubare
 non cessabant.

R. Desiderium animæ ejus tri-
 -buisi ei, Domine, * Et volun-
 -tate labiorum ejus non fraudasti
 eum.

Y. Posuisti in capite ejus coro-
 -nam de lapide pretioso. * Et vo-
 -luntate.

Lectio viii.

Sed Dei misericordia, qui hanc
 militiam spirituales suis in-
 -spiravit ad multorum profe-
 -ctum egregiè eam postea amplia-
 -re & consummare non cessavit.
 Vir autem Domini Albericus in
 schola Christi per novem annos
 & dimidium regulari disciplina
 feliciter exercitatus migravit ad
 Dominum septimo Calendas Feb-
 -ruarii, Anno Domini millesimo
 centesimo septimo, fide & virtu-
 -tibus gloriosus, & idè in vita æ-
 -terna a Deo meritò beandus, cui

successit quidam Frater, Stephanus nomine. Anglicus natione, qui & ipse cum aliis de Molifmo advenerat, quique amator Regulæ & loci erat.

R. Iste Sanctus dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum: * Quia in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione; & aviditate in illa æterna patria conversatus est.

ÿ. Vinculis carnis absolutus talentum sibi creditum Domino suo cum lucro reportavit. * Quia in hac peregrinatione. Gloria Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Homilia. *Grandis fiducia.* In Evangelium: *Ecce nos.*

In Laudibus, commem. S. Polycarpi.

Missæ de communi Abb. *Os justi.* cum *Gloria & Credo.* In Miss. Mat. & priv. orat. 2. (sine 3.) de S. Polycarpo.

Festum septem Dolorum

B. MARIÆ Virginis.

MM. Maj.

Feria VI. post Dominic. Passionis.
Ad Vesperas.

Antiph. Vadam ad montem Myrrhæ, & collem thurris. 7. *Psal.* 109. Dixit Dominus: &c. *Cum Reliq. de Beata Virg.*

Antiph. Dilectus meus candidus & rubicundus: comæ capitis sicut purpura Regis vinctæ canalibus. i.

Antiph. Quò abiit Dilectus O pulcherrima mulierum: quò dilectus tuus declinavit. viii.

Antiph. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. iii.

Capitulum.

Quis credit auditui nostro, & brachium Domini, cui revellatum est? * ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.

R. br. Facies mea * intumuit à fletu. Facies. *ÿ.* Et palpebræ meæ caligaverunt. Intumuit.

Hymnus.

Stabat Mater dolorosa
Juxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem
Contristantem & dolentem,
Pertransivit gladius.

O! quàm tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater Unigeniti?

Quæ mærebat & dolebat,
Et tremebat, cum videbat,
Nati pœnas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret,
In tanto supplicio?

Quis-

Quis non posset contristari
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis,
Vidit JESUM in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum,
Morientem desolatum,
Dum emisit Spiritum.

Eja Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut ipsi complaceam, Amen.

¶. Ora pro nobis Virgo dolo-
rosissima.

℞. Ut digni efficiamur promif-
sionibus Christi.

Ad Magnificat Antiph.

Tuam ipsius animam, ait ad
Mariam Simeon, pertransibit gla-
dius, vi.

Oratio.

DEus, in cujus passione secun-
dum Simeonis prophetiam
dulcissimam animam glo-
riosæ Virginis & Matris Mariæ
doloris gladius pertransivit, &
concede propitius: * ut qui trans-
fixionem ejus, & passionem ve-
nerandò recolimus, & gloriosis
meritis, & precibus omnium San-
ctorum cruci fideliter adstantium
intercedentibus passionis tuæ ef-

fectum felicem consequamur.
Qui vivis. *Et sit com. feria.*

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Dolores gloriosæ
recolentes Virginis, Dominum
pro nobis passum, * Venite ado-
remus.

Psal. Venite. Cum gloria Patri.

Hymnus.

SAncta Mater istud agas
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.

Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pænas mecum divide.

Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
In planctu desidero, Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Astiterunt Reges terræ,
& Principes convenerunt in u-
num adversus Dominum, & ad-
versus Christum ejus. viii.

Psal. 2. Quare fremuerunt.

Antiph. Voce mea ad Domi-
num clamavi, & exaudivit me de
monte sancto suo. vii.

Psal. 3. Domine! quid multi-
plicati.

Antiph. Anima mea turbata est
valdè, quoniam non est in mor-
te, qui memor sit tui. vi.

B 2

Psal.

Psal. 6. Domine, ne in furore.
Antiph. Factum est cor meum
tanquam cera liquefcens in medio
ventris mei. v.

Psal. 12. Usquequo Domine,
Antiph. Funes ceciderunt mihi
in præclaris, etenim hæreditas
mea præclara est mihi. iv.

Psal. 15. Conserva me.
Antiph. In die tribulationis, pro-
tegit me Nomen DEI Jacob. iii.
Psal. 19. Exaudiat te Dominus.

Ÿ. Tuam ipsius animam dolo-
ris gladius pertransibit.

R. Ut revelentur ex multis cor-
dibus cogitationes.

De Isaia Propheta.

Lectio i. Cap. 53.

Quis credidit auditui nostro,
& brachium Domini cui
revelatum est? & ascen-
det sicut virgultum coram eo, &
sicut radix de terra sitienti: non
est species ei, neque decor: & vi-
dimus eum, & non erat aspectus;
& desideravimus eum despectum,
& novissimum vitorum, virum
dolorum, & scientem infirmita-
tem: & quasi absconditus vultus
ejus, & despectus, unde nec re-
putavimus eum.

R. Dilectus meus candidus, &
rubicundus, & totus desiderabilis,
*omnis enim figura ejus amorem
spirat, & ad redamandum pro-

vocat. Caput inclinatum, manus
expansæ, pectus apertum.

Ÿ. Piis ð Virgo spectas eum o-
culis, contemplans in eo non tam
vulnerum livorem, quàm mundi
salutem. Omnis.

Lectio ii.

Verè languores nostros ipse
tulit, & dolores nostros ip-
se portavit: & nos putavi-
mus eum quasi leprosum, & per-
cussum à Deo, & humiliatum.
Ipse autem vulneratus est propter
iniquitates nostras, attritus est
propter scelera nostra: Disciplina
pacis nostræ super eum, & livore
ejus sanati sumus. Omnes nos
quasi oves erravimus, unusquis-
que in viam suam declinavit: &
posuit Dominus in eo iniquitatem
omnium nostrum.

R. Manus ejus tornatiles cla-
vorum cuspede tenebratæ. * Hu-
manæ salutis pretio quasi hyacin-
this refertæ.

Ÿ. Cornua in manibus ejus, ibi
abscondita est fortitudo ejus: sunt
enim manus ejus. Humanæ.

Lectio iii.

Oblatus est quia ipse voluit,
& non aperuit os suum,
sicut ovis ad occisionem
duccetur, & quasi coram tonden-
te se obmutescet, & non aperiet
os suum. De angustia & de judi-
cio

cio

cio sublatus est : generationem
ejus quis enarrabit ? quia abscef-
sus est de terra viventium : prop-
ter scelus populi mei percussus eum,
Et dabit impios pro sepultura, &
divitem pro morte sua: eo quod
iniquitatem non fecerit, neque
dolos fuerit in ore ejus.

R. O vos omnes, qui transitis
per viam, * Attendite & videte,
si est dolor sicut dolor meus.

Y. Omnes, qui videbant me,
irriserunt me. Attendite.

Lectio iv.

ET Dominus voluit contere
re eum in infirmitate : si
posuerit pro peccato ani-
mam suam, videbit semen lon-
gævum, & voluntas Domini in
manu ejus dirigetur. Pro eo, quod
laboravit anima ejus, videbit &
saturabitur, in scientia sua justifi-
cabit ipse justos servus meus mul-
tos, & iniquitates eorum ipse
portabit. Ideo dispersiam ei plu-
rimos, & fortium dividet spolia,
pro eo quod tradidit in mortem
animam suam, & cum sceleratis
reputatus est : & ipse peccata
multorum tulit, & pro transgres-
soribus rogavit.

R. Diligebat JESUS Joannem :
quoniam specialis prærogativa
castitatis ampliori dilectione fece-
rat dignum, * quia Virgo Electus

ab ipso, Virgo in ævum perman-
sit.

Y. In Cruce denique moriturus
huic Matrem Virginem Virgini
commendavit. Quia Virgo, Glo-
ria Patri.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Inimici dixerunt mala
mihi, quando moriatur, & peri-
bit nomen ejus. ij.

Psal. 40. Beatus qui intell.

Antiph. Deus vitam meam an-
nunciaui tibi, posui lachrymas
meas in conspectu tuo. i.

Psal. 55. Miserere mei DEUS,
quoniam conculcavit.

Antiph. Filii hominum dentes
eorum, arma & sagittæ, & lin-
quæ eorum gladius acutus. viii.

Psal. 56. Miserere mei DEUS,
miserere.

Antiph. Intenderunt arcum rem
amaram, ut sagittent in occultis
immaculatum. vii.

Psal. 53. Exaudi DEUS oratio-
nem.

Antiph. Facti sumus opprobri-
um vicinis nostris, subfannatio &
illusio his, qui in circuitu nostro
sunt. iv.

Psal. 78. Deus venerunt gen-
tes.

Antiph. Factus sum sicut homo
inter mortuos liber sine adjuto-
rio. i.

Pfal. 87. Domine Deus salutis.
✠. DEus vitam meam annun-
tiavi tibi.

℞. Posuisti lacrymas meas in
conspectu tuo.

Sermo Sancti Patris nostri Bernardi Abbatis,

Serm. 1. de Deipara.

Martyrium Virginis, tam in
Simeonis prophetia, quam
in ipsa Dominicæ Passio-
nis historia commendatur. Posi-
tus est hic (ait Sanctus Senex de
puero JESU) in signum, cui con-
tradicitur: & tuam ipsius ani-
mam (ad Mariam dicebat) per-
transibit gladius. Verè tuam, O
Mater beata! animam pertransi-
vit. Alioquin non nisi eam per-
transiens, carnem Filii sui pene-
traret. Et quidem posteaquam e-
misit spiritum tuus ille JESUS, ip-
sius animam planè non attigit cru-
delis lancea: quæ ipsius aperuit
latus, sed tuam utique animam
pertransiuit. Ipsius nimirum ani-
ma jam ibi non erat, sed tua pla-
nè inde nequibat avelli.

℞. Tenebræ factæ sunt, cum
crucifixissent JESUM Judæi, & cir-
ca horam nonam exclamavit JE-
sus voce magnâ: Deus, ut quid
dereliquisti me? * Et inclinato
capite emisit spiritum. ✠. Quis

tibi nunc sensus, cum cernis talia
Virgo. Et inclinato.

Lectio vi.

TUam ergò pertransiuit ani-
mam vis doloris, ut plus-
quam Martyrem non im-
meritò prædicemus, in qua ni-
mirum corporeæ sensû passionis
excesserit compassionis affectus.
An non tibi plusquam gladius fu-
it sermo ille, pertransiens ani-
mam, & pertingens usque ad di-
uisionem animæ & spiritûs: Mu-
lier ecce Filius tuus!

℞. Passio Domini * ipsam ejus
Matrem carnali enormitate gra-
uissimè percussam, vehementissi-
mè contristavit.

✠. Ferrum lanceæ militaris la-
tus quidem Salvatoris, animam
verò transiuit Virginis Matris.
Ipsam.

Lectio vii.

O Commutationem? Joa-
nes tibi pro JESU traditur,
seruus pro Domino, Dis-
cipulus pro Magistro; filius Ze-
bedæi pro Filio DEI, homo purus
pro DEO vero. Quomodo non
tuam affectuosissimam animam
pertransiret hæc auditio, quando
& nostra licèt saxea, licèt ferrea
pectora sola recordatio scindit.

℞. Quis mihi det te fratrem
suum, sugentem ubera Matris
meæ.

meæ, & inhærendo lateri tuo, ut sanguis tuus sanguinem meum tangat, & tergat? * Ut fons aquæ tuæ de scaturigine recti cordis per venas boni operis in finem æternæ felicitatis exiliat.

ψ. Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Ut fons.

Lectio viii.

NON miremini fratres, quòd Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus: longè sit à servulis ejus. Sed fortè quis dicat: nunquid non eum præscierat moriturum? & indubitanter. Nunquid non sperabat continuò resurrecturum? & fideliter. Super hæc doluit crucifixum? Ut vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam patientem, quàm Mariæ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit, fecit istud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

R. Flebant & ipsi Angeli amarissimè mente turbati, * viden-

tès Dominam suam Matrem utique DEI sui, tam vehementi dolore repletam, tot rivulis affluentium lachrymarum perfusam.

ψ. O quis tunc Angelorum Arch-Angelorumque etiam contra naturam suam non fieret. Videntes. Gloria Patri.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Replevit me amaritudine, inebriavit me absynthio. iii.

Canticum. Obaudite me, &c.

ψ. Defecit in dolore vita mea,

β. Et anni mei in gemitibus.

Lectio Sancti Evangelii
secundum Joannem.

Lectio ix. Cap. 19.

IN illo tempore: stabant juxta Crucem JESU Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ, Et reliqua.

Homilia Sancti Patris nostri
Bernardi Abbatis.

Ex tract. de Pass. Dom. cap. 10.

CERTè nos legimus Dominum JESUM, maximè cum ad ætatem proVectam accesserat, charissimæ Matri suæ familiaritè adhæsisse, & cum ipsa frequentius convivatum esse, & præcæteris mitiùs allocutum. Sed quan-

quantus in ipso fuerat circa Matrem pietatis affectus, jam corporaliter recessuro, brevibus intimavit verbis, & ut crucis suæ tacitam passionem, quanta circa Beatam Matrem compassione mutua credis ipsum affectum fuisse cor, cujus mitissimum tam validò doloris sui gladiò transverberatum perfectè sciebat.

R. O verum eloquium iusti Simeonis! quem prædixit pia Mater doloris gladium sentiebat, dum Cruci astabat, * Intuens vultu benigno Christum uti genitum suum Filium pendentem in ligno.

Y. Ibi stabat dolens sævo dolore confecta. Intuens.

Lectio x.

A Dauxit vulnerum passionem Materna compassio, quam contristissimo corde, manibus complois, voce querula, & totis viribus cordis destitutam viriliter cum vidit sibi adstare pendentem. Quoties illam ad illa immitia verècundos pupas oculos elevasse, si tamen illos aliquando inde deflexit, vel si præ nimio fluxu lachrymarum potuit intueri? Quoties ipsam propter verècundiam virginalem patiter & imensitatem doloris stantem (ut æstimo) capite cooperto ingemuisse putas lugendo Filium, & dicen-

do: Fili mi JESU, JESU Fili mi! quis mihi det, ut tecum & propter te moriar! Fili mi dulcis JESU!

R. Doleo super te Fili mi JESU decorus nimis & amabilis super amorem mulierum, * sicut enim Mater unicum diligit Filium, ita ego te diligebam.

Y. Defecit in odore vita mea, & anni mei in gemitibus. Sicut enim.

Lectio xi.

Q Uoties ipsam præ immensitate doloris credis potuisse deficere, quò ipsam summè miror, etiam mortuam non fuisse? moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Sed ne moriendo deficeret, à Filio pro ipsa mortalitate confortata est. Confortata est intrinsicè, exterius verò & verbis, & factis pie consolata.

R. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, submersum est cor meum in memetipsa, * quoniam amaritudine plena sum.

Y. Intumuit à fletu facies mea, & palpebræ meæ caligaverunt. Quoniam.

Lectio xii.

Q Uomodo stabat juxta Crucem JESU Mater ejus? verè juxta Crucem stabat, quia

quia Crucem Filii præ cæteris Mater majore cum dolore ferebat, Stabant & aliæ, sed proxima hæc. Cùm ergò vidisset Jesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce! Filius tuus; ac si diceret: Tu me Filio corporaliter privaris, unde tibi amicum præ cunctis dilectum in Filium do, cujus præsentia interim, dum absum, consoleras, Ad Discipulum autem: Ecce! Mater tua; ac si diceret: Tu verò me Patre spoliaris, unde hanc Matrem mihi charissimam tibi in Matrem do.

R. Eja Mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus, * Et Dominicæ Passionis fructum sentiamus.

Y. Ut sicut Filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, & resurrexit; ita & nos commortui cum eodem resurgamus. Et Dominicæ Passionis. Gloria Patri.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

IN illo tempore: stabant juxta Crucem JESU Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cùm vidisset ergò Jesus Matrem,

& Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit Discipulus eam in sua.

Oratio.

DEUS in cujus passione, *ut supra.*

AD LAUDES.

Antiph. Vadam ad montem. *ut supra in Vesperis.* *Psal.* Dominus regnavit, cum cæteris.

Capitulum.

Quis credidit, *ibidem.*

R. br. Tuam ipsius animam * Pertransibit gladius. Tuam.

Y. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Pertransibit.

Hymnus.

Virgo Virginum præclara,
Mihî jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis ejus sortem,
Et plagas recolare.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filii.

Inflammatum, & accensum
Per te Virgo sim defensum,
In die Judicii.

Fac me Cruce custodiri
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiâ,

Quando corpus morietur,
ac, ut animæ donetur
paradisi gloria. Amen.

☩. Ora pro nobis Virgo dolo-
rosissima.

R. Ut digni efficiamur promif-
sionibus Christi.

Ad Benedictus Antiph.

Cum vidisset JESUS Matrem
stantem juxta Crucem, & Disci-
pulum, quem diligebat, dicit
Matri suæ: Mulier, ecce Filius
tuus. Deinde dicit Discipulo:
ecce Mater tua. j.

Oratio ut supra.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Primam Ant. Dilectus me-
us, ut supra in primis Vesperis.

Ad Tertiam Ant. Quò ablit. *Ibi-
dem.* Capitulum. Quis credidit,

☩. Tuam ipsius, &c.

Oratio.

DEUS in cujus passione. ut supra
in Vesperis.

Ad Sextam Ant. Fulcite me flo-
ribus, stipate me malis, quia a-
more lanqueo. j.

Capitulum.

IPse vulneratus est propter ini-
quitates nostras, attritus est
propter scelera nostra. * Di-
sciplina pacis nostræ super eum
z & livore ejus fanati sumus.

☩. Deus vitam meam, &c.

Ad Nonam Antiph. Fasciculus
Myrrhæ, ut supra in Vesperis.

Capitulum.

Generationem ejus quis e-
narrabit? quia abscissus
est de terra viventium z
propter scelus populi mei percussus
cum.

☩. Defecit in dolore. ut supra.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Primis.

Ad Magnificat Antiph.

Cum vidisset JESUS Matrem
stantem juxta Crucem, & Disci-
pulum, quem diligebat, dicit
Matri suæ: Mulier, ecce Filius
tuus. Deinde dicit Discipulo:
Ecce Mater tua. j.

*Et fit commemoratio Feriæ. Si hoc
Festum occurrat cum alio Festo sermo-
nis aut duarum Missarum, transfer-
tur in Sabbathum sequens. Quòd si
sit impeditum alio Festo XII. Lectio-
num illo annò omittatur, & nunquam
transferatur ad tempus Paschale.
Missa ut in Supplemento Missalis no-
stri novissimè edito.*

Die XXIV. Aprilis.

In Festo S. Georgii Mart.
MM. Maj.

*Ad Vesp. Laudes & Horas omnia de
Communi Mart. temp. Paschali,
præter sequentia.*

Ora-

Oratio.

DEUS, qui nos Beati Georgii Martyris tui meritis, & intercessione lætificas, & concede propitius: * ut qui tua per eum beneficia poscimus, & donò tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

GEORGIVS nobilis miles Capadox genere, pijs parentibus natus, cum Christum DEI Filium Diocletiano Imperatori prædicaret, à Præsidente comprehensus, & ut Deos veneraretur admonitus, ejus jussu contemnens conjicitur in vincula. Inde sequenti die eductus, & ante tribunal Præsidis constitutus perstitit in irrisione inanum Deorum, Jesum Christum constantissimè exclamans.

R. Pretiosa.

Lectio vi.

QUAM ob rem cum nec blanditijs, nec minis adduci posset, ut Christo renuntiaret, verberibus cæditur, ignitâ sartagine torquetur, aliisque cruciatibus & his quidem gravissimis affligitur. Postremò dempto capite illustre testimonium Christo Domino dedit nono Ka-

lendas Maij annò salutis humanæ ducentesimo nonagesimò. Ejus Festum hac ipsa die Sancta Mater Ecclesia ubique celebrari præcepit.

R. Tristitia.

Lectio vii.

De Epistola S. Cypriani Episcopi, & Martyris ad Martyres, & Confessores. *Lib. 2. Epist. 6.*

Quibus ego vos laudibus, &c. *ut in Communi Mart. tempore Paschali.* R. Justorum.

Lectio viii.

Vidit admirans, R. Filiæ Jerusalem.

IN III. NOCTURNO.

Homilia. Iste locus. *In Evangelium:* Ego sum vitis vera.

S. In Missa propria de Festo dicitur Gloria sine Credo, nisi incidat hoc Festum in Dominicam. Vesp. de sequenti. Commem. S. Georgii, Antiph. In cælestibus regnis.

Die XXIIX. Aprilis.

In Festo S. P. N. Roberti
I. Abbatis Cistercii.

Sermo minor.

Omnia ista notantur in Breviario ad hanc diem, præter sequentia.

AD VESPERAS.

Antiph. 10. Alleluja. Psalmi

De Dominica.

Capitulum. Eccl. 45.

Dilectus Deo, & hominibus;
& cujus memoria in benedictione est. * Similem illum fecit in gloria Sancto um.

R. maj. O Beati viri Roberti sancta præconia! O inæstimabilis dilectio charitatis! * Qui dum sæculi pompam contempsit, æternæ vitæ conjunctus est, alleluja, alleluja.

Ps. Cui vivere Christus fuit, & mori lucrum. * Qui dum,

Hymnus. Iste Confessor. *In quo dicitur.* Hac die lætus meruit supremos.

Ps. Ora pro nobis Beate Roberte, alleluja.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi, alleluja.

Ad Magnificat Antiphona.

Beatus vir, qui metuit Dominum, alleluja, in mandatis ejus cupit nimis, alleluja. j.

Oratio.

EXcita Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui Beatus Robertus Abbas servivit, * ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit. Per Dominum nostrum Jesum Christum ... in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus,

AD VIGILIAS.

Invitat. 6. Alleluja.

AD LAUDES.

Capit. Dilectus Deo, & hominibus.

Ps. Ora pro nobis Beate Roberte, allel.

Oratio. Excita, *ut in Vesp.*

Ad Tertiam. Capit. Dilectus Deo, & hominibus.

Ps. Os justi meditabitur sapientiam, all. *R.* Et lingua ejus loquetur judicium, allel.

In II. Vesperis ut supra in Primis.

R. bre. Os justi meditabitur sapientiam. * All. all. Os justi.

Ps. Et lingua ejus loquetur judicium. All. all.

Ad Magnificat Antiphona.

Hic vir despiciens mundum, & terrena, triumphans, divitias cælo condidit ore, manu, alleluja, alleluja. viii.

Commem. S. Petri Mart. Antiph. Filiaë Jerusalem venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis, & lætitiæ, alleluja, alleluja. j.

Ps. Justi in perpetuum vivent. Alleluja,

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, * ut Beati Petri Martyris tui fidem congrua de-

devotione sectemur: ⁊ qui pro e-
jusdem fidei dilatatione martyrii
palmam meruit obtinere, Per Do-
minum nostrum.

*S. In Missa, ut notatur in Mis-
sali: Gloria. Oratio: Excita. Cre-
do. Præfat. Pasch.*

Die IV. Maij.

**In Festo S. S. Floriani &
Sociorum Martyrum.**
MM. Maj.

AD VESPERAS.

*In secundis Vesperis Inventionis
S. Crucis sit Commemoratio S. S. Flo-
riani, & Sociorum Mart. Antiph.
Filiæ Jerusalem &c.*

ψ. Justi in perpetuum &c.

Oratio.

DEus, qui nos concedis San-
ctorum Martyrum tuorum
Floriani, & Sociorum ejus
natalitia colere, ⁊ da nobis in æ-
terna beatitudine de eorum socie-
tate gaudere. * Per Dominum
nostrum JESUM Christum Filium
tuum, &c.

AD MATUTINAM.

*Invitat. Alleluja, alleluja,
* Alleluja.*

Hymnus.

DEUS tuorum militum, &c.
Reliqua de Communi plur. Mart. tem-

*pore Paschali, exceptis Lectionibus
II. Nocturni, uti sequuntur.*

Lect. v.

Sæviente, Diocletiani & Ma-
ximiani Imperatorum, in
Christianorum sanguinem,
persecutione, cum Aquilinus,
Norici Ripensis Præses in eosdem
Christi cultores acerrimè ani-
madverteret, & ad quadraginta
eo nomine vinctos, malèque tra-
ctatos in carcerem conjecisset,
Florianus, iisdem Religionis, &
militiæ societate conjunctus hæc
laureaci fieri audiens, sancto
fidei ardore incensus, ac sangui-
nem pro Christo profundere cu-
piens, eodem advolat, sicque ad
excellentiorem militiæ coronam
glorioso certamine contendit.

Lectio vi.

Videns ergò Christianos ad
Idolorum Sacrificia per-
quiri, nihil truculentorum
Fide, hostium immanitatem veri-
tus in medium se ultrò profert,
liberèque exclamat: Ecce ego
Christianus sum! ite, nuntiate
Præsidi, me hic adesse. Re ad
Præsidem delata, Florianus vin-
ctus adducitur ac de confessione
sua interrogatus, cum in eadem
& inanum Deorum detestatione
firmissimè persisteret, fustibus di-
rè cæditur, ferròque scapulæ e-

ius diriffimè fauciantur, & confringuntur.

Lectio vii.

TAndem invictus Christi Athleta variis tormentorum generibus superatis, ob inconcussam fidei constantiam ultimam mortis lætus excipit sententiam; ligato ergò ad collum saxo, è ponte in Anasum fluvium dejicitur. Nec defuit Divina ultio. Nam oculi ejus, qui injectis violenter manibus Martyrem præcipitavit, mox crepuerunt.

Lectio viii.

Fluvijs autem Martyrem Christi suscipiens elevatis undis in quoddam eminentius saxum sacrum ejus corpus extulit, quod miro nutu Dei ab Aquila illuc advolante protegebatur, donec à pia quadam Matrōna Dei instinctu inde clam ablatum sepulturæ mandaretur in eo loco, in quo postea celebre Monasterium erectum fuit, quod usque in hodiernum diem titulo & Patrocinio S. Floriani gaudet.

Lect. III. Nocturni.

Homilia in Evangelium: Ego sum vitis vera, &c. uti habetur de Comuni S.S. Martyrum temp. Paschal.

IN LAUDIBUS.

Omnia de eodem Comuni cum Oratione ut suprâ, & Commemorat. S. Monica, uti notatur in Breviar.

AD HORAS MINORES.

Omnia de Comuni S.S. Mart. temp. Pasch. cum Orat. ut suprâ.

AD VESPERAS.

Omnia de eodem Comuni, & Orat. ut suprâ. fit Commemorat. S. Sacerdot. uti annotatur in Breviar.

Die XVI. Maij.

In Festo S. JOANNIS Nepomuceni Martyris.

MM. Maj.

Omnia ut in Comuni Martyr. tempore Paschal. præter ea, quæ hic habentur.

Si verò contingat hoc Festum post Trinitatem transferri, Officium dicitur de Comuni unius Mart. extra tempus Paschale, exceptis sequentibus.

Oratio.

DEus, qui ob invictum Beati Joannis sacramentale silentium novâ Ecclesiam tuam Martyrii coronâ decorasti: * da nobis ejus intercessione, & exemplô linguam cautè custodi-

re: & ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dominum nostrum, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

JOannes Nepomuci Bohemiarum Oppidò, unde Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus ætate provectis, non sine futuræ Sanctitatis præfagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, Beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum! è vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole, piæque institutione cælestibus indiis obsequente, inter sanctas, religiosasque exercitationes pueritiam egit; *Formulâ enim Presbyteris Divinum Sacrificium facturis inserviendi perceptâ, sponte sua ad Cænobium Monachorum Cisterciensium, Nepomuco adjacens, primò mane decurrere, singulisque Dei Mystis ad Aras operaturis ministrare consuevit.* Zatecii politioribus litteris ad humanitatem informatus: Pragæ verò gravioribus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, sacrorumque Canonum Magisterium, & Lauream emeruit. Sacerdotiò initiatus, atque

à scientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, ministerio verbi Dei se penitus addixit.

Lectio vi.

Cum igitur in vitiis extirpandis, & revocandis in via salutis errantibus eloquentiâ, & pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao IV. prædicandi Provinciam suscepit, eò successu, ut Joannis suafu multa Rex faceret, magnòque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates, Dei servus, nè à Divini Verbi præconio avocaretur, constantissimè recusavit. Regiis illum elemosynis in pauperes erogandis præfectum Joanna Regina conscientiæ sibi Moderatorem adscivit. Cum autem Wenceslaus ab officio, institutòque decessisset, atque in vitia præceps abriperetur; piæ autem conjugis obtestationes, & monita gravatè ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali Judicio Sacerdoti credita Regina arcana sibi à Joanne panderentur. At Dei Minister blanditiis primùm, tormentis deinde, & carceris squalore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit.

Le.

Lectio vii.

Furentem tamen Wenceslai
animum cum ab execrando
proposito nec humana, nec
Divina jura deterrerent, supre-
mum agonem, quem instare sibi
Athleta Christi noverat, populo
in concione de impendentibus e-
tia regni calamitatibus admonito,
non obscure prænuntiavit. Mox
Boleslaviam profectus, ad Beatæ
Virginis Imaginem antiquo cul-
tu celebrem, cæleste præsidium
ad certandum bonum certamen
effusis precibus imploravit. Inde
vesperi revertentem, in Pervigi-
lio Dominicæ Ascensionis, Rex è
fenestra conspicatus arcessit; cum
que vehementius urgeret, & pro-
ximam in aquis, si obluçtari per-
geret, submersionem intentaret,
Joannes invictâ constantiâ terro-
res, minasque refutavit. Itaque
Regis imperiò in Moldavam flu-
men Pragam interfluens noctu
dejectus, illustrem Martyrii coro-
nam est consecutus. Sacrilegium
facinus clam patratum, & Marty-
ris gloriam insigne prodigium di-
vinitus patefecit. Ubi enim exa-
mine corpus secundo flumine vehi
coepit, ardentes faces aquis super-
natantes & discurrentes apparue-
runt.

Lectio viii.

Quam ob rem ex arena postri-
die manè corpus elatum, Ca-

nonici deinde Regis iram nihil ti-
mentes, in Metropolitanam Ec-
clesiam solèni pompâ intulerunt,
& Sepulturæ mandârunt. Cum
autem in dies invicti Sacerdotis
memoria miraculis, & maxima
fidelium, eorum præcipuè, qui
famâ periclitantur, veneratione
cresceret, post annos demùm am-
plius tercentos in juridica recog-
nitione corporis, quod sub humo
tam diu jacuerat, lingua ejus in-
corrupta & vivida reperta est: quæ
sexto post annò Judicibus à Sede
Apostolicâ delegatis exhibita, no-
vò prodigiò repentè intumuit, &
tubobscurum ruborem in purpu-
reum commutavit. His itaque,
aliisque signis ritè probatis, Bene-
dictus XIII. P. M. die decima no-
na Mensis Martii annò salutis mil-
lesimò septingentesimò vigesimò
nonò primum hunc Sacramen-
talis Sigilli assertorem, Arca-
ni fidem sanguine obfignantem
Sanctorum Martyrum catalogo
adscript.

In III. Nocturno.

Sequentia Sancti Evange-
lii secundum Matthæum.

Lectio ix. Cap. 10.

In illo tempore: dixit IESUS
discipulis suis: nihil est oper-
tum, quod non revelabitur;
& occultum, quod non scietur.
Ho.

no. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi,

Comment. in Matth. can. 10. post med.

Dominus diem iudicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodebet: & ea, quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies iudicii nulla hæc fuisse, atque inania revelabit.

Lectio x.

ET quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicare super terra. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est. Itaque id, quod à se dictum est, cum libertate fidei, & confessionis vult esse loquendum.

Lectio xi.

Idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari iussit in lumine: ut quæ secreto aurium commissa sunt, super terra, id est: excelsò loquentium præconiò audiantur. Constantè e-

nim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum: non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est: sed timentes potius Deum, cui pendendæ in gehena & animæ, & corporis sit potestas.

Lectio xii.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor: quando pro naturæ suæ, atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritalis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam; etiam conditionem, qua tenemur, adjecit: negaturum se eum Patri in coelis, qui se hominibus in terra negasset: eum porrò, qui confessus coram hominibus se fuisset: à se in cælis confitendum: qualésque nos nominis sui testes hominibus fuisset, tali nos apud Deum Patrem testimoniò ejus usuros.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.

D

Cap.

IN illo tempore : dixit JESUS :
discipulis suis : nihil est operum,
& occultum, quod non revelabitur;
& occultum, quod non sciatur.
Quod dico vobis in tenebris, di-
cite in lumine, & quod in aure
auditis, prædicate super terra.
Et nolite timere eos, qui occidunt
corpus, animam autem non pos-
sunt occidere : sed potius timete
eum, qui potest animam & corpus
perdere in gehenam. Nonne duo
passeres assè væneunt, & unus ex
illis non cadet super terram sinè
Patre vestro? vestri autem capilli
capitis omnes numerati sunt. No-
lite ergò timere : multis passeri-
bus meliores estis vos. Omnis
ergò, qui confitebitur me coram
hominibus, confitebor & ego eum
coram Patre meo, qui in caelis
est. Bz. Amen.

NB. *Officium hoc juxta Romæ ap-
probatum, & impressum, ad normam
Ordinis Cisterciensis ordinatum, so-
lum in II. Nocturni Lectione V. ver-
bis : Nam Ecclesiam frequenter
adire, & Sacerdotibus ad aras o-
perantibus ministrare in delitiis
habet. Omissis, & locò eorum, ut
suprà, ex Bulla Canoniz. positus, pro
usu Monasteriorum, Bobemiæ, Mora-
viæ, & utriusque Lusatia, autori-
tate Vicariali, Praga reimpressum
Anno 1730. & Waldsässu 1739.*

**In Festo S. Urbani Papæ,
& Martyris.
MM. Maj.**

*Extra tempus Paschale omnia de
communi unius Martyris, præter ter-
tium Nocturnum, ubi Homilia in E-
vangelium : Homo peregrè pro-
ficiscens &c. uti habetur in Brevia-
rio de communi Confess. Pontif.*

Oratio.

DA quæsumus omnipotens
Deus, ut B. Urbani Marty-
ris tui atque Pontificis ve-
neranda solemnitas, & devotio-
nem nobis augeat & salutem, Per
Dominum nostrum, &c.

*Tempore verò Paschali ad Matutin.
Laudes & reliquas horas omnes, om-
nia de Communi SS. Mart. tempore
Paschal. præter Lect. III. Nocturni,
quæ sunt*

*Homilia in Evangel. Homo pere-
grè proficiscens &c. cum Collecta
ut suprà.*

Die XVI. Junii.

**In Festo S. Bennonis Episco-
pi & Confessoris.
MM. Maj.**

*Omnia de Communi Confessoris
Pontificis.*

Oratio.

DEus, qui nos Beati Bennonis
Pontificis confessione glo-
riosa

riosa circumdas, & protegis: *
da nobis ex ejus imitatione profi-
cere, & intercessione gaudere.
* Per Dominum nostrum.

AD VIGILIAS.

Omnia de Communi Confess. Pontif.
Lectioes I. Nocturni: Fidelis ser-
mo. Cum REX. ibidem.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

BENNO Hildesimâ Saxonîæ ci-
vitate illustribus Genitori-
bus oriundus, quinquenis
S. Bernardo Hildesimensi Episco-
po ejus consanguineo commen-
datus, Wigero Monasterii Sancti
Michaelis Præposito in DEI timo-
re instruendus, & in studio litte-
rarum erudiendus traditur. Fa-
ctus adolescens Episcopi consiliò
sumpto habitu Monachorum in
eodem Cænobio tam sanctè vi-
xit, ut mortuo Abbate cogere-
tur sollicitudinis Abbatialis sarcinam
subire: Cujus tamen vaca-
tionem præ amore vitæ contem-
plativæ post spatium trium circi-
ter mensium flentibus sæpè ocu-
lis impetravit.

R. Posui adjutorium. *Cum re-*
liquis de communi.

Lectio vi.

CUM autem speraret reli-
quum vitæ privatim in o-
ratione transigere, Henri-

cus Imperator Tertius hujus no-
minis, cupiens in Ecclesia Gosla-
riensi à se nuper absolutâ Congre-
gationem Canonicorum Regula-
rium à probatissimis & doctissimis
quibusque Germanorum consti-
tuere, Bennonem magnis preci-
bùs à Pontifice Leone Nono im-
petratum, & illius autoritate ab
Ordine Monastico ad Canonicum
translatum eidem novellæ Con-
gregationi Magistrum dedit, ut
illi spiritualis armaturæ Dux ef-
set, & illam Ecclesiasticæ discipli-
næ tyrociniis informaret.

Lectio vii.

CUM autem annos decem &
septem in Canonica Con-
gregatione sanctissimè vi-
xisset, & Monasterium Goslarien-
se multorum prædiorum, domo-
rum, & Censuum paternæ hære-
ditatis attributione ditavisset,
suadente Beato Annone Coloni-
ensi Archiepiscopo Ecclesiæ Mis-
nensi, tunc vacanti, Præfectus,
Episcopatum ne acciperet, omni-
bùs, quibus potuit, modis resti-
tit. Sed tandem Beati Annonis
acri objurgatione compulsus po-
tius, quàm persuasus, illum su-
scipit, non nescius tamen Divi-
no sibi revelante Spiritu, quantis
tribulationum fluctibus in Epi-
scopatu foret exagitandus, quem-

admodum ipse eventus probavit, dum Henricus quartus Imperator bellò contra Saxones excitato sanctum Episcopum officio boni Pastoris incumbentem, & nihil mali suspicantem invadens, inson-tem capit, omnia illius Ecclesiæ bona diripit, & captum carceribus, & exiliò durissimò damnat.

Lectio viii.

REvocatus deinde ab exiliò, & ad suam Ecclesiam ire permissus, mox alia tempestate contra illum oborta exulare denuò compellitur, exorto nimirum schismate inter Romanum Pontificem Gregorium Septimum, & ipsum Imperatorem, quo vel Henrici iram incurrere, vel DEI & Pontificis mandatorum transgressor fieri cogitur. Eligens autem potiùs indignationem hominum incurrere, quàm Divinum mandatum contemnere, superatis infidiis sibi in itinere paratis, Romam pergens Pontifici adhæsit, & pro illius auctoritate, nec non etiam pro Ecclesiastica libertate contra ipsum Imperatorem acerrimè pugnavit, & unus serè ex tota Germania Concilio Romano eadem causâ contra Imperatorem celebrato interfuit, & subscripsit. Qui tandem Imperatore viribus fracto liberè ad su-

am Ecclesiam reversus, dum eidem Ecclesiæ instaurandæ, moribusque reformandis strenuam operam impendit, dum Slavis ab errore idololatriæ repugnandis, prædicatione, & miraculis totus incumbit, sentiens horam sui exitus appropinquare, convocatis fratribus, & ad mutuam dilectionem seridè cohortatis, prænuntiata, quæ futura erat Ecclesiæ pace & tranquillitate, in Domino obdormivit XVI. Kalendas Julii, ab Hadriano VI. in Sanctorum numerum relatus.

IN III. NOCTURNO.

Homilia. Lectio in Evangelium:
Homo peregrè proficiscens, cum
ibidem.

AD LAUDES.

Et reliquas Horas omnia de Comuni Confessoris Pontificis. In II. Vesperis, nisi Dominica, vel Octava Corporis Christi occurrat, fit Commemoratio S. Lutgardis Virginis. Antiph. Veni sponsa.

Die XXIV. Junii.

In Festo S. JOANNIS
Baptistæ.

Sermo major cum Octava.
Omnia ut sunt in Breviario, Privatibus diebus infra Octav.

AD MATUTINAM.

Psal. 94. Venite exultemus &c.

Hym-

Hymnus. Antra deserti &c. uti in Festo.

AD I. Nocturnum,

Antiphona.

1. Ecce dedi verba mea in ore tuo.
Ecce constitui te super gentes,
& regna.
2. Dominus ab utero vocavit me,
de ventre matris meae recor-
datus est nominis mei.
3. Posuit os meum quasi gladium
acutum, sub umbra manus suae
protexit me.
y. Fuit homo missus à Deo &c.
Benedictio. Cujus Festum &c.

Lectio brevis.

Ne timeas à Facie eorum, quia
tecum ego sum, ut eruam te, di-
cit Dominus. Et misit Dominus
manum suam, & tetigit os me-
um : & dixit Dominus ad me :
Ecce dedi verba mea in ore tuo :
Ecce constitui te hodie super gen-
tes, & super regna : ut evellas, &
destruas, & disperdas, & dissipes,
& ædifices, & plantes, Tu au-
tem &c.

q. br. Inter natos mulierum &c.

AD II. Nocturnum,

Capitulum.

Et nunc hæc dicit Dominus,
&c. uti habetur in Festo ad Sextam.
y. Inter natos mulierum &c.,
Sabbatho infra Octav.

AD VESPERAS.

Antiph. & Psalmi ut in Festo, à Ca-

pitulo de Dominic. cum comem octav.

Antiph. Ingresso Zacharia &c.

AD MATUTINAM.

*Et omnes horas, Omnia de Domi-
nic. a.*

*Ad Benedictus, & Magnificat com-
memorat. de Octav. uti habetur in
Breviario.*

JULIUS.

**In Festo Dedicacionis Ec-
clesiæ Alderspachensis, quod inci-
dit Mense Julii in Dominicam
post Festum Translationis
S. P. N. Benedicti.**

Sermo major cum Octav.

*Omnia de Communi Dedicacionis,
sicut annotatur in Breviario Ordinis
nostri.*

*NB. Si concurrat unum vel plu-
ra Festa Sanctorum cum hoc Dedicacionis
Festo, observanda est Rubrica
Breviarii nostri de Translatione Fe-
storum.*

Die XVI. Julii.

**In Festo S. P. N. Stephani
III. Abbatis Cistercii.**

*Notandum. Cum hoc Festum S.
P. N. Stephani incidere soleat infra
Octavam Dedicacionis Ecclesie Alder-
spachensis, diebus quibus incidit, in
Vesperis & Laudibus erit Commemo-
ratio S. Stephani.*

Sermo major cum Octava.

D 3

AD

AD VESPERAS.

Antiph. Iste Sanctus dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transit Angelorum, quia in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & aviditate, in illa æterna patria conversatus est. j.

Psal. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica.

Antiph. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum DEI, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. jv.

Antiph. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, & ad portas paradisi coronavit eum. j.

Antiph. Serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. jv.

Capitulum. Eccl. 45.

Dilectus Deo, & hominibus, & cujus memoria in benedictione est: * similem illum fecit in gloria Sanctorum.

R. O beati viri Stephani Sancta præconia, ô inæstimabilis dilectio charitatis! * Qui dum sæculi pompam contempsit, æternæ vitæ conjunctus est.

ÿ. Cui vivere Christus fuit, & mori lucrum, Qui.

Hymnus. Iste Confessor: ubi dicitur, Hac die lætus meruit supremos, laudis honores.

ÿ. Ora pro nobis Beate P. Stephane.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat Antiphona.

Iste cognovit justitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum, & inventus est in numero Sanctorum. jv.

Oratio.

EXcita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Stephanus Abbas servivit: * ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit. Per Dominum - in unitate ejusdem.*

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Justus florebit in domo Domini plantatus: * Gaudeamus, & exultemus in ejus sacra solenitate.

Psalms. Venite.

Hymnus. Iste confessor.

Antiphona, Psalmi, ÿ. & R. Noct.
ut in communi Confess. non Pontif.

In I. Nocturno.

Lectiones: Laudemus viros gloriosos. *R.* Euge serve, cum reliquis de communi Confess. non Pontif.

In

In II. Nocturno.

Lectio v.

Stephanus, cognomento Hardingus, genere nobilis, natione Anglus, adolescens in Schirburnensi Monasterio habitum induit regularem. In Scotiam, studiorum causâ, mox in Galliam, Parisios transfretavit; ubi humanioribus litteris, & sacris disciplinis apprimè instructus, Romam proficiscitur, Clerico socio sibi adjuncto; cum quo singulis diebus psalterium ex integro decantabat. Sacris liminibus visitatis, Gallias læti repetebant, cum ecce nova Molismi solitudo Stephanum allexit, in qua se beatis Patribus Roberto & Alberico comitem adjunxit.

R. Amavit eum.

Lectio vi.

IN partem curæ assumptus, & deformatam postea in Molismo disciplinam condolens, tantum effecit, ut, cum verbum innovandæ religionis motum fuisset, ipse primus inter primos ferventissimo studio laboraverit, ac modis omnibus institerit, ut locus & Ordo Cisterciensis institueretur; quod approbante Hugone Lugdunensi Archi-Episcopo, Apostolicæ Sedis tunc Legato, Novum Monasterium una

cum sociis ædificavit, ubi primum sub sancto Roberto primo Abbate Sub-Prior, mox sub Alberico Prior effectus, ipsi demum è vivis sublato, omnium calculis suffectus est.

R. Magnificavit.

Lectio vii.

DIvino operi persolvendo vir ille DEI talem adhibebat reverentiam, ut cogitationes suas, oratorium ingressurus, deponeret ad ostium: Regularem observantiam adeo excolebat, ut curias Principum à cœnobio relegaret: paupertatem ita diligebat, ut ipsius etiam Ecclesiasticæ suppellectilis tenuitatem observandam posteris demandaret. De Filiorum morte, sine apparenti prole, contristatus, mox per apparitionem unius è fratribus nuper defuncti, & per adventum Sancti Bernardi, sociorumque ejus, miram Ordinis sui fecunditatem, Domino revelante, futuram agnovit.

R. Desiderium.

Lectio viii.

Multiplicatam utique gentem suam conspiciens, etiamque simul in Domino colligans, omnia illius monasteria legibus statutisque similibus studuit conformare, ob idque char-

chartam Charitatis, à Calixto Secundo confirmatam, & à successoribus Summis Pontificibus colaudatam, cum consilio fratrum suorum composuit. Virgini Deiparæ summè devotus, novellam hanc plantationem ipsius ad-dixit clientelæ singulari: & se-niò confectus, morbis & labo-ribus prægravatus cessit præfe-cturæ, Rainardum sibi substitui curans, amoto Uvidone. Tan-dem meritis plenus, & humilis spiritu, migravit ad Dominum quinto Kalendas Aprilis, Anni millesimi, centesimi, trigesimali quarti, ejusque corpus juxta præ-decessoris Alberici sepulturam so-lemniter à vicinis Abbatibus ap-positum fuit. R. Iste Sanctus.

In III. Nocturno.

Canticum. Beatus vir, qui in sa-pientia.

Homilia. Grandis fiducia. In *Evangeliū*: Ecce nos reliquimus omnia.

AD LAUDES.

Antiph. Collaudabunt. *Psal.* Dominus regnavit. *cum reliquis.* *Capitulum.* Dilectus Deo.

R. *brev.* Justum deduxit.

Ÿ. Ora pro nobis, *Antiph. ad Benedictus*: Similabo eum. *Orat.* Excita, *ut supra in Vesp.*

Ad Prim. Ant. Cognovit.

Ad Tert. Ant. Justum deduxit. *Capitulum.* Dilectus.

Ÿ. Os justii. *Oratio.* Excita.

Ad Sext. Ant. Justus cor suum. *Capitulum.* Justum deduxit.

Ÿ. Lex Dei. *Oratio.* Excita.

Ad Non. Ant. Serve bone.

Capitulum. Justus cor suum.

Ÿ. Justus ut palma florebit.

Oratio. Excita.

In II. Vesperis.

Antiph. Collaudabunt. *cum reliquis de Communi.* *Psal.* Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica.* *Capit.* Dilectus Deo. R. *brev.* Os Justii. *Hym.* Iste Confessor. Ÿ. Ora pro nobis. *ut supra in I. Vesp. Ant.* *Ad Magnif.* Iste Sanctus. *Orat.* Excita. *Et sit Coramem.* de S. Alexio. *Antiph.* Iste cognovit.

PRIVATIS DIEBUS.

Infra Octavam S. P. N. Stephani.

AD VIGILIAS.

Psal. 94. Venite. *sine Invitatorio.* *Hymnus.* Iste Confessor. *Psal.* *mi de feria occurrente.*

In I. Nocturno.

I. *Antiph.* Iste cognovit justitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum, & inventus est in numero Sanctorum. *iv.*

II. *Antiph.* Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur. *viii.*

III. *Antiph.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam glo-

gloriæ induit eum, ad portas pa-
radisi coronavit eum. j.

ꝑ. Os justi. R. Et Lingua.

Benedictio.

Cujus Festum colimus, ⁊ ipse
intercedat pro nobis ad Domi-
num. ⁊ R. Amen.

Lectio brevis. Eccl. 50.

Quasi stella matutina in me-
dio nebulæ, ⁊ & quasi lu-
na plena in diebus suis lu-
cet. * Et quasi sol refulgens, sic
ille efulsit in templo Dei. ⁊ Et cir-
ca illum corona fratrum; quasi
plantatio cedri in monte Libano,
* sic circa illum steterunt quasi
rami palmæ.

R. *brev.* Justus * Ut palma flo-
rebit. Justus. ꝑ. Sicut Cedrus Li-
bani multiplicabitur. Ut palma.

AD II, Nocturnum.

Antiph. Alleluja, Alleluja. Al-
leluja. i. *Capit.* Justum deduxit.
ut in Communi ad Sextam. ꝑ. Lex
Dei ejus. R. Et non. *Orat.* Excita.
Cetera ut in die.

Sabbatho infra Octavam.

Ad Vesp. *Antiph.* *ꝑ* Psalmi *ut in die*
Festi. *Capitulum* *ꝑ* *Cetera de sequenti*
Dominica, cum commem. Octava,
Antiph. Iste cognovit.

Dominica infra Octavam.

S. P. N. Stephani.

Omnia fiunt de Dominica occur-

rente cum commem. Octava in Laud.
ꝑ Vesp. ut in Die.

Dominica infra Octavam S. P. N.
Stephani, aliàs XVI. Julii.

Festum Commemoratio-
nis solemnis B. V. MARIE de
Monte Carmelo.

MM. Maj.

Omnia ut in subsequenti Festo B. V.
Mariæ ad Nives, præter sequentia.

AD VESPERAS.

Capitulum Eccl. 24.

EGo quasi vitis fructificavi
suavitatem odoris, ⁊ & flo-
res mei fructus honoris, &
honestatis: * Ego Mater pulchræ
dilectionis, & timoris, & agni-
tionis, & sanctæ spei.

Ad Magnificat Antiph.

Ave Regina Cœlorum, Ave Do-
miina Angelorum, salve radix, sal-
ve porta, ex qua mundo lux est
orta, gaude Virgo gloriosa, su-
per omnes speciosa, vale ô valdè
decora, & pro nobis Christum
exora. vj.

Oratio.

Deus, qui Beatissimæ semper
Virginis, & Genitricis tuæ
Mariæ singulari titulo Car-
meli Ordinem decorasti, ⁊ con-
cede propitius; * ut cujus hodie

E

com.

commemorationem solemniter celebramus Officio, & ejus muniti præfidiis ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

Commemoratio Dominica, si in Dominica venerit, & Sancti Stephani. In fine Hymnorum: Gloria - - qui natus &c.

AD VIGILIAS.

Invitatorium. In honorem Beatissimæ Mariæ Virginis, * Jubilemus Domino.

Psal. Venite exultemus, &c.

Lectio v.

IN II. NOCTURNO.

CUM sacra Pentecostes die Apostoli cælitus afflati, variis linguis loquerentur, & invocato Augustissimo JESU Namine, mira multa patrant: viri plurimi, qui vestigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ ac Elisæi institerant, & Joannis Baptistæ præconiò ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atque probata, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem (cujus colloquiis ac familiaritate feliciter frui potuere) adeò venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendente nebulam,

Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerint.

R. Sicut Cedrus, &c.

Lectio vi.

AD novum ergò Sacellum sæpè quotidie convenientes ritibus piis, precationibus, ac laudibus Beatissimam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres beatæ Mariæ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmârunt, sed & indulgentias peculiarias iis, qui eò titulò vel Ordinem, vel Fratres singulos nuncuparent, concessere.

R. Quæ est ista, &c.

Lectio vii.

NEC verò nomenclaturam tantùm munificentissima Virgo tribuit, & tutelam, verum & insigne Sacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglico præbuit, ut cælesti hac veste Ordo ille sacer dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cum olim in Europa Ordo esset ignotus, & ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio noctu piissima Virgo Maria, planèque jussit, ut insti-

tutum, & homines benignè com-
plecteretur.

R. Ornatam monilibus, &c.

Lectio viii.

NON in hoc tantum sæculo,
Ordinem sibi tam accep-
tum multis prærogativis
Beatissima Virgo insignivit, verum
& in alio (cùm ubique & potentia
& misericordia plurimum valeat)
filios in Scapularis Societatem re-
latos, qui abstinentiam modicam,
precèsque paucas eis præscriptas
frequentârunt, ac pro sui statûs
ratione castitatem coluerunt, Ma-
terno planè affectu, dum igne
purgatorii expiantur, solari, ac
in cælestem patriam obtentu suo
puantocius piè creditur efferre.
Tot ergò tantisque beneficiis Or-
do cumulatus, solemnem Beatif-
simæ Virginis Commemoratio-
nem ritu perpetuo ad ejusdem
Virginis gloriam quotannis cele-
brandam instituit.

R. Diffusa est gratia, &c.

AD LAUDES.

Antiph. Dum esset Rex, &c.

Psal. Dominus regnavit. *Cum*
reliquis.

Capitulum.

Ego quasi vitis, &c. *ut supra.*

R. br. Ave Maria gratia plena,

* &c.

Hymnus. O Gloriosa Domina, mo, &c,
&c.

ψ. Dignare me laudare, &c.

Antiphona ad Benedict.

Ve Stella matutina,

A Peccatorum medicina,
Mundi Princeps & Regina;

Virgo sola digna dici,

Contra tela inimici

Clypeum pone salutis

Tuæ titulum virtutis.

Tu es enim Virga Jesse,

In qua Deus fecit esse

Aaron Amygdalum.

Mundi tollens scandalum,

Tu es area compluta

Cælesti rore imbuta

Sicco tamen vellere.

Tu nos in hoc carcere

Solare propitia,

Dei plena gratiâ.

O Sponsa Dei electa,

Esto nobis via recta

Ad æterna gaudia,

Ubi pax est, & gloria.

Tu nos semper aure pia

Dulcis exaudi Maria. v.

Oratio ut supra.

Commemoratio Dominicæ, si in Do-
minica, & S. Stephani.

Ad Primam Ant. Unguentum
effusum, &c.

Ad Tertiam Ant. Nigra sum, &c.
ut supra.

Capitulum. Ego quasi vitis, &c.

ψ. Specie tua, &c.

Ad Sextam Ant. Corde, & ani-

Capitulum. Eccl. 24.

TRansite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: ⁊ Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum: * memoria mea in generationes sæculorum, ⁊. Adjuvabit eam, &c.

Ad Nonam Antiph. Pulchra es, &c.

Capitulum. Eccl. 24.

Qui edunt me, adhuc esurient, ⁊ & qui bibunt me, adhuc sitient, * qui audit me, non confundetur, ⁊ & qui operantur in me, non peccabunt: * qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

⁊. Elegit eam, &c.

In II, Vesperis omnia ut in Primis.

Ad Magnificat Antiphona.

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cæli porta manes, & stella maris, succurre cadenti, surgere, qui currat, populo: tu quæ genuisti, naturam mirante tuum sanctum Genitorem: Virgo prius ac posterius Gabrielis ab ore, sumens illud Ave, peccatorum miserere, v.

Commemoratio Dominica, si in Dominica, & S. Stephani.

Missæ ut in suppiemento Missalis nostri novissime edito.

Si Festum S. Stephani occurrerit in Dominica, sequenti Feria II. celebrabitur in choro Festum B. V. Mariæ de Monte Carmelo: si autem illud occurrerit Feria II. celebrabitur hoc in choro Feria III. Et non anticipatur. Occurrente Festo S. Mariæ Magdalene Feria II. Dominica antecedenti erunt Vesperæ totales de Festo B. V. cum commem. S. Magdal. Dominica, & S. Steph.

Die V. Augusti.

Festum Dedicantionis B. V. MARIE, ad Nives.

MM. Maj.

AD VESPERAS.

Antiph. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. iij.

Psal. Dixit Dominus, &c. Cum reliquis de Beata.

Antiph. Unguentum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis. j.

Antiph. Nigra sum, sed formosa, Filia Jerusalem, ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum. iij.

Antiph. Pulchra es, & decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata, j.

Capi.

Capitulum Eccl. 24.

AB initio, & ante sæcula
creata sum: * & usque ad fu-
turum sæculum non desi-
nam, ⁊ & in habitatione sancta
coram ipso ministravi.

R. brev. Specie tua, * & pul-
chritudine tua. Specie tua.

ψ. Intende, prosperè procede,
& regna. Et pulchritudine tua.

Hymnus. Ave Maris stella, &c.

ψ. Dignare me laudare te Vir-
go sacrata.

R. Da mihi virtutem contra
hostes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

Sancta Maria succurre miseris,
juva pusillanimes, refove flebiles,
ora pro populo, interveni pro Cle-
ro, intercede pro devoto foemi-
neo sexu: sentiant omnes tuam
juvamen, quicunque celebrant
tuam sanctam Festivitatem. *iv.*

Oratio.

COncede nos famulos tuos,
quæsumus Domine Deus,
perpetuam mentis, & corpo-
ris sanitate gaudere: * & Glorio-
sa Beatæ Mariæ semper Virginis
intercessione, à præsentis liberari
tristitia, ⁊ & æterna perfrui lætitia
Per Dominum Nostrum, &c.

Commemor. S. Dominici. Antiph.
Iste Sanctus,

In fine Hymnorum: Gloria ---
qui natus, &c.

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Sancta Maria Dei
Genitrix Virgo, * intercede pro
nobis.

Psal. Venite exultemus, &c.

Hymnus. Quem terra, pontus,
æthæra, &c.

In I. Nocturno.

Antiph. Ecce tu pulchra es ami-
ca mea, ecce tu pulchra, oculi
tui columbarum.

Psal. 8. Domine Dominus no-
ster.

Antiph. Sicut liliū inter spi-
nas, sic amica mea inter filias.

Psal. 18. Cœli enarrant.

Antiph. Favus distillans labia
tua sponsa, & odor vestimento-
rum tuorum, sicut odor thuris.

Psal. 23. Domini est terra.

Antiph. Emissiones tuæ para-
disus malorum puniceorum, cum
pomorum fructibus.

Psal. 44. Eructavit cor meum.

Antiph. Fons hortorum, pu-
teus aquarum viventium, quæ
fluunt impetu de Libano.

Psal. 45. Deus noster refugi-
um.

Antiph. Veniat dilectus meus
in hortum suum & comedat fru-
ctum pomorum suorum.

Psal. 47. Magnus Dominus.

ψ. Specie tua, & pulchritudine
tua.

R. Intende, prosperè procede, & regna.

De Parabolis Salomonis,

Cap. 8. & 9.

Lect. i.

EGO Sapiencia habito in consilio, & eruditus inter sum cogitationibus. Timor Domini odit malum; arrogantiam, & superbiam, & viam pravam, & os bilingue detestor. Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ego diligentes me diligo; & qui mane vigilant ad me, invenient me.

R. Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferram, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

ψ. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus Ventris tui. Quia.

Lectio ii.

MECUM sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia. Melior est enim fructus meus aurô, & lapide pretioso, & genimina mea argentô electo. In viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicii, ut di-

tem diligentes me, & thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.

R. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, & hominem.

ψ. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus. Et de.

Lectio iii.

AB æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.

R. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portasti, Creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

ψ. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti.

Lectio iv.

QUI me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino; qui autem in me

me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapiaentia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad moenia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me.

R. Beata progenies, unde Christus natus est. * O quàm gloriosa est Virgo, quæ coeli Regem genuit.

✠. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, O quàm. Gloria Patri. O quàm.

In II. Nocturno.

Antiph. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.

Psal. 84. Benedixisti Domine.

Antiph. Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

Psal. 86. Fundamenta ejus in montibus.

Antiph. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est: quæsi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit mihi: invenerunt me custodes civitatis, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum cu-

stodes murorum: filia Jerusalem nuntiate dilecto, quia amore lanqueo.

Psal. 95. Cantate Domino. j.

Antiph. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Jerusalem.

Psal. 96. Dominus regnavit, exultet.

Antiph. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem, si florisset vinea, & germinassent mala punica: revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.

Psal. 97. Cantate Domino. jj.

Antiph. Hortus conclusus es Dei Genitrix, hortus conclusus, fons signatus, surge, propera amica mea, & veni.

Psal. 98. Dominus regnavit, irascantur.

✠. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus non commovebitur.

Lectio v.

Liberio summo Pontifice, Joannes Patricius Romanus, & uxor pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem Sanctissimæ Virgini Dei Matri voverunt, ab ea sum-

summis precibus assidue petentes, ut, in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret. quarum preces & vota ex animo facta, Beata Virgo Maria benigne audiens, miraculo comprobavit.

R. Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, & sicut Cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.

ψ. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio vi.

NONIS igitur Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, nocturnam partem collis Exquillini contexit. Qua nocte Dei Mater separatim Joannem, & conjugem in somnis admonuit, ut, quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam aedificarent, quæ Mariæ Virginis nomini dedicaretur: se enim ita velle ab ipsis heredem institui. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit.

R. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, & formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filia Sion, & beatam dixerunt, & Reginae laudaverunt eam.

ψ. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viderunt.

Lectio vii.

QUARE solemniter Sacerdotum, & populi supplicatione ad collem venit nive cooperatum, & in eo locum Ecclesiæ designavit, quæ Joannis, & uxoris pecuniâ extructa est, postea à Xisto III. restituta. Variis nominibus primum est appellata: Basilica Liberii: Sancta Maria ad Præsepe.

R. Ornatam monilibus, filiam Jerusalem Dominus concupivit; * Et videntes eam filia Sion, Beatissimam prædicaverunt dicentes: Unguentum effusum nomen tuum.

ψ. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et videntes.

Lectio viii.

SED cum multæ jam essent in Urbe Ecclesiæ sub Nominibus Sanctæ Mariæ Virginis: ut, quæ Basilica novitate miraculi, ac dignitate cæteris ejusdem nominis Basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris dicta est. Cujus dedicationis memoria ex nive, quæ hac

hac die mirabiliter cecidit, anni-
versaria celebritate colitur.

R. Diffusa est gratia in labiis
tuis, * Propterea benedixit te
DEUS in æternum.

Y. Myrrha, & gutta, & casia
vestimentis tuis, à domibus ebur-
neis, ex quibus delectaverunt te
filiae regum in honore tuo. Pro-
pterea Gloria Patri. Propterea.

In III. Nocturno.

Antiph. Beata Mater, & inta-
cta Virgo, gloriosa Regina, mun-
di, intercede pro nobis ad Do-
minum.

Canticum. Obaudite me.

Y. Elegit eam Dominus.

R. In hæreditatem sibi.

Lectio Sancti Evangelii
secundum Lucam.

Lectio ix. Cap. II.

In illo tempore: loquente JE-
su ad turbas, extollens vo-
cem quædam mulier de tur-
ba dixit illi: Beatus venter, qui
te portavit. Et reliqua.

**Homilia Venerabilis Be-
dæ Presbyteri.**

Lib. 4, Cap. 49. in Luc. Cap. II.

Magnæ devotionis, & fidei
hæc mulier ostenditur,
quæ Scribis & Phariseis
Dominum tentantibus, simul &

blasphemantibus, tanta ejus in-
carnationem præ omnibus sincere-
ritate cognoscit, tantâ fiducia
confitetur, ut & præsentium pro-
cerum calumniam, & futurorum
confundat hæreticorum perfidi-
am.

R. Felix namque es sacra Vir-
go Maria, & omni laude dignissi-
ma: * Quia ex te ortus est Sol ju-
stitiæ, Christus DEUS noster.

Y. Ora pro populo, interveni
pro Clero, intercede pro devoto
fœmineo sexu: sentiant omnes
tuum juvamen, quicumque cele-
brant tuam sanctam festivitatem,
Quia.

Lectio x.

Nam sicut tunc Judæi, sancti
Spiritus opera blasphe-
mando, verum consub-
stantialèmq; Patri DEI Filium
negabant: sic hæretici postea ne-
gando: Mariam semper Virgi-
nem, sancti spiritus operante vir-
tute, nascituro cum humanis
membris Unigenito DEI, carnis
sue materiam ministrasse, verum
constubstantialèmq; matri Fili-
um hominis fateri non debere di-
xerunt.

R. Beatam me dicent omnes
generationes: * Quia fecit mihi
Dominus magna, qui potens est,
& sanctum nomen ejus.

Y. Et misericordia ejus à proge-
nie

nie in progenies timentibus eum.
Quia fecit.

Lectio xi.

Sed si Caro Verbi DEI secundum carnem nascentis à Carne Virginis Matris pronuntiat extranea, sine causa Venter, qui eam portasset, & Ubera, quæ lactassent, beatificantur. Dicit autem Apostolus: quia misit Deus Filium suum factum ex Muliere, factum sub lege. Neque audiendi sunt, qui legendum putant: Natum ex Muliere, factum sub lege; sed, factum ex Muliere: quia conceptus ex Utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde sed Materna traxit ex carne: alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.

R. Benedicta & venerabilis es Virgo Maria, * Cujus Viscera meruerunt portare Dominum Christum.

ψ. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus Fructus Ventris tui. Cujus Viscera.

Lectio xii.

Quinimodò beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. Pulchræ Saluator attestatiōni mulieris annuit, non eam tantummodò, quæ Verbum DEI corporaliter gene-

rare meruerat, sed & omnes, qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, & boni operis custodiã, vel in suo, vel in proximorum corde pãrere, & quasi alere studuerint, asseverans esse beatos: quia & eadem DEI Genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multò beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna.

R. Beata es Virgo Maria DEI Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: Ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum DEum nostrum.

ψ. Ave Maria, gratiã plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. ii.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; & Ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimodò beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.

Oratio.

Concede nos famulos, &c.

AD

AD LAUDES.

Antiph. Dum esset. *ut in Vesp.*

Psal. Dominus regnavit. *Cum reliquis.*

Capitulum.

Ab initio, & ante sæcula.

R. bre. Ave Maria, gratiã plena, * Dominus tecum. Ave Maria &c.

ψ. Benedicta tu in mulieribus, Dominus tecum.

Hymnus. O Gloriosa Domina. &c.

ψ. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Antiphona ad Benedictus.

BEata es Maria, quæ credidisti, perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Alleluja. viii.

Ad Primam Ant. Unguentum effusum, &c.

Ad Tertiam Ant. Nigra sum.

Capitulum. Ab initio. ψ. Spe- cie tua.

Ad Sextam Ant. Corde, & animo Christo canamus gloriam in hac sacra Solemnitate præcelsæ Genitricis DEI Mariæ. viii.

Capitulum Eccl. 24.

ET sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, ⁊ & in Je-

rusalem potestas mea, * & radicavi in populo honorificato, ⁊ & in parte DEI mei hæreditas illius: & in plenitudine sanctorum dentio mea.

ψ. Adjuvabit eam.

Ad Nonam Ant. Pulchra es.

Capitulum. Eccl. 24.

IN plateis, sicut cinnamomum, & balsamum, aromatizans odorem dedi: * quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

ψ. Elegit eam Dominus.

In II. Vesperis aliorum Festorum huc citatorum omnia ut in primis.

Antiphona ad Magnificat.

BEatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit DEUS. viii.

Hodie autem Vespera de Transfiguratione Domini.

Commemoratio B. V. Mariae ad Nives, Antiphona: Beatam me, &c.

ψ. Dignare me, &c. *Oratio.* Concede nos famulos.

Item Commem. de SS. Martyribus: Antiphona: Isti sunt Sancti.

Missæ B. V. M. ad Nives est, ut in Sabbato de tempore cum Gloria, & Credo. In Prefatione: Et te in festivitate, &c.

Dominicâ infrâ Octavam

Nativitatis B. V. Mariæ.

Festum Sanctissimi No-
minis MARIÆ. MM. Maj.

Omnia ut in Festo B. V. Mariæ ad
Nives, præter sequentia.

AD VESPERAS.

Capitulum Eccl. 24.

EGO quasi vitis fructificavi
suavitatem odoris, ⁊ flores
mei fructus honoris,
& honestatis: * Ego Mater pul-
chræ dilectionis, & timoris, &
agnitionis, & Sanctæ spei.

R. breve. Specie tua, &c.

Hymnus. Ave Maris stella, &c.

Y. Dignare me, &c.

Ad Magnificat Antiphona.

SANCTA Maria succurre mise-
ris, juva pusillanimes, reso-
ve flebiles, ora pro populo,
interveni pro Clero, intercede
pro devoto foemineo sexu, senti-
ant omnes tuum juvamen, qui-
cunque celebrant tui Sancti No-
minis comemorationem. iv.

Oratio.

CONcede, quæsumus Omni-
potens DEUS, ⁊ ut fideles,
tui qui sub Sanctissimæ
Virginis Mariæ Nomine, & pro-
tectione lætantur: * Ejus pia in-

tercessione à cunctis malis libe-
rentur in terris, ⁊ & ad gaudia
æterna pervenire mereantur in
cælis. Per Dominum nostrum,
&c.

Commemoratio Dominica.

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Ave Maria gratiâ
*plena, Dominus tecum: * Be-*
nedita tu in mulieribus.

Psal. Venite.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Patris nostri

Bernardi Abbatis.

Hœmia 2. super Missus est.

Lectio v.

ET nomen inquit, Virginis
Maria. Loquamur pauca,
& super hoc nomine, quod
interpretatum maris stella dicitur,
& Matri Virgini valdè convenien-
ter aptatur. Ipsa namque sideri
aptissimè comparatur, quia sicut
sine sui corruptione sidus suum e-
mittit radium, sic absque sui læ-
sione Virgo parturivit Filium.
Nec sideri radius suam minuit cla-
ritatem, nec Virgini Filius suam
integritatem. Ipsa est igitur no-
bilis illa stella ex Jacob orta, cu-
jus radius universum orbem illu-
minat, cujus splendor & præful-
get in supernis, & inferos pene-
trat, terras etiam perlustrans, &

calefaciens magis mentes; quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa inquam, est præclara, & eximia stella, super hoc mare magnum, & spatiosum necessariò sublevata micans meritis, illustrans exemplis.

R. Sicut Cedrus, &c.

Lectio vi.

O ! Quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae fæditate confusus, Judicii horrore perterritus, barathrò incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyfso, cogita Mariam.

R. Quæ est ista, &c.

Lectio vii.

IN periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deferas conversa-

tionis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsam protegente non metuis, ipsam Duce non fatigaris, ipsam propitiã pervenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: Et nomen Virginis Maria.

R. Ornatam monilibus, &c.

Lectio viii.

Ex Decreto Innocentii XI.

QUOD quidem Venerabile nomen jam pridem in quibusdam Christiani orbis partibus speciali ritu cultum, Innocentius Undecimus Romanus Pontifex ob insignem Victoriã sub ejusdem Virginis Mariæ præsidio de immanissimo Turcarum Tyranno cervicibus populi Christiani insultante Viennæ in Austria partem, & in perenne tanti beneficii monumentum in Ecclesia universali singulis annis Dominicã infra Octavam beatæ Mariæ Virginis celebrari præcepit.

R. Diffusa est gratia, &c.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente, & spiritu devotissimè poscimus. vj.

Lectio Sancti Evangelii
secundum Lucam.

Lectio ix. Cap. 1

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chryso-
logi.

Serm. 142. de Annunc.

Audiistis hodie Fratres charissimi Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audiistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina. Audiistis Angelum de carnis nostræ iimo, Templum Divinæ Majestati arte ineffabili constructum.

℞. Felix namque, &c.

Lectio x.

Audiistis in terris Deum, in cælis hominem Sacramento incomprehensibili collocari. Audiistis inaudita ratione in uno corpore Deum hominemque misceri. Audiistis fragilem

nostræ carnis naturam, ad portandam totam Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari. ℞. Beatam me, &c.

Lectio xi.

Denique: ne tanto ponderi cælestis fabricæ Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura frustum virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præcessit dicens: Ne timeas Maria! ante causam dignitas Virginis annunciat ex nomine: nam Maria ex hebræo sermone latinè Domina nuncupatur.

℞. Benedicta & venerabis, &c.

Lectio xii.

Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominationis Genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetravit Authoritas. Ne timeas Maria! invenisti enim gratiam. Verum est, quia qui invenit gratiam, nescit timere. Invenisti gratiam.

Sequentia Sancti Evangelii
secundum Lucam,

Cap. 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen

na-

Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audiisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria! invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus: & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istum, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Oratio. Concede, quæsumus, &c.

AD LAUDES.

Antiph. Dum esset Rex, &c.
Psal. Dominus regnavit. *cum reliquis.*

Capitulum.

Ego quasi vitis *ut supra in Vesp.*
R. brev. Ave Maria, gratiâ plena, &c.

ψ. Dignare me laudare &c.

Antiphona ad Benedict.

Beata es Maria, quæ crediti-
sti, perficientur in te, quæ
dicta sunt tibi à Domino.

Alleluja, vjij.

Oratio. Concede, quæsumus, &c.

Commemoratio Dominice.

Ad Primam Ant. Unguentum
effusum, &c.

Ad Tertiam Ant. Nigra sum, &c.

Capitulum. Ego quasi vitis &c.
ψ. Specie tua, &c.

Ad Sext. Ant. Corde & animo, &c.

Capitulum Eccl. 24.

Transite ad me omnes, qui
concupiscitis me, & à ge-
nerationibus meis imple-
mini, ⁊ Spiritus enim meus super
mel dulcis, & hæreditas mea su-
per mel, & favum: * memoria
mea in generationes sæculorum.

ψ. Adjuvabit eam: &c.

Ad Nonam Ant. Pulchra es, &c.

Capitulum Eccl. 24.

Qui edunt me adhuc esuri-
ent, ⁊ qui bibunt me,
adhuc sitient, * qui audit
me

me non confundetur, ⁊ ⁊ qui operantur in me, non peccabunt : * qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

⁊. Elegit eam Dominus, ⁊c.
In II. Vesperis Antiph. ad Magnif.

BEATA DEI Genitrix Maria, Virgo perpetua, Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino Nostro Iesu Christo, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto famineo sexu. viij.

Oratio. Concede, quæsumus, ⁊c.

Commemoratio Dominica, si in Dominica.

Missæ, ut in Supplemento Missalis nostri novissimè edito.

Festum Nominis Mariæ occurrens cum die Octava SS. Angel. Cust. transfertur in feriam II. habetque utraque Vesperas. Si Festum Exaltationis occurrerit in Dominica, sequenti feriâ II. erit Officium de Festo Nominis Mariæ, cum utrisque Vesperis, cum hoc sit MM. Maj. illud autem tantum Min. in nost. Brev. ideo in I. Vesp. Commem. Exaltationis, Dominica, ⁊ S. Nicomedis tantum, ⁊ nihil fit de die Octava Nativitatis. Si dies immediatè sequens post Festum Nativitatis fit Dominica, Vesperæ dicuntur Sab-

batho de Nativitate absque Commemor. Festi Nominis Mariæ, ⁊ Dominica Officium fit de Festo Nominis Mariæ absque Commem. Nativitatis. Quodsi Dominica fuerit dies Octava Nativitatis B. V. totum Officium cum utrisque Vesperis erit de Festo Nominis Mariæ sine commem. diei Octava Nativitatis, sed cum Commem. Festi Exaltat. Dominica, ⁊ S. Nicomedis.

Die XXIV. Septembris.

Festum B. V. MARIÆ de Mercede. MM. Maj.

Omnia ut in Festo B. V. Mariæ ad Nives. Præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem, ad liberandos Christi Fideles à potestate paganorum novâ Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es : * præsta quæsumus, ut quàm pie veneramur tanti operis institutricem, ⁊ ejus pariter meritis, ⁊ intercessione à peccatis omnibus, ⁊ captivitate dæmonis liberemur. Per eundem Dominum.

In II. Nocturno.

Letitio v.

Quo tempore major, feliciorque Hispaniarum pars dicitur

Sa-

diro Saracenorum opprimebatur
jugo, innumerique fideles sub
immani servitute, maximo cum
periculo Christianæ Fidei ab-
jurandæ, amittendæque salutis
æternæ infelicitè detinebantur:
Beatissima Coelorum Regina tot
tantisque benigniter occurrens
malis, nimiam charitatem suam
in iis redimendis ostendit. Nam
Sancto Petro Nolascò pietate, &
opibus florenti, qui Sanctis va-
cans meditationibus jugiter ani-
mo recogitabat, qua ratione tot
Christianorū ærumnis sub Mau-
rorum captivitate degentium suc-
currî posset, ipsamet Beatissima
Virgo Serena fronte se conspici-
endam dedit, & acceptissimum
sibi, ac Unigenito suo Filio fore
dixit, si suum in honorem insti-
tueretur Ordo Religiosorum, qui-
bus cura incumberet Captivos è
Turcarum Tyrannide liberandi.
Qua cælesti visione Vir DEI re-
creatus, mirum est, quo charita-
tis ardore flagrare cœperit, hoc
unum servans in corde suo, ut ip-
se, ac instituenda ab eo Religio
maximam illam charitatem sedu-
lò exercerent, ut quisque animam
suam poneret pro Amicis, & pro-
ximis suis. R. Sicut Cedrus, &c.

Lectio vi.

EA ipsa nocte eadem Virgo
Sanctissima beato Raymun-
do de Pennafort, & Jaco-
ga proximum charitatis Institu-
tum

bo Arragoniæ Regi apparuit, id-
ipsum de Religiosis instituendis
admones, suadensque, ut opem
pro constructione tanti operis fer-
rent. Petrus autem statim ad Ray-
mundi pedes, qui ipsi erat à sa-
cris Confessionibus, advolans ei
rem omnem aperuit, quem eti-
am cœlitus instructum reperit,
ejusque directioni se humillimè
subjecit. At superveniens Jaco-
bus Rex, quam & ipse acceperat
à Beatissima Virgine, revelatio-
nem exequi statuit. Unde colla-
tis inter se consiliis, & consenti-
entibus animis in honorem ejus-
dem Virginis Matris Ordinem in-
stituere aggressi sunt, sub invoca-
tione Sanctæ Mariæ de Mercede
Redemptionis Captivorum.

R. Quæ est ista, &c.

Lectio vii.

Die igitur decima Augusti
Anno Domini millesimo
ducentesimo octavo, Rex
idem Jacobus eam institutionem
jam pridem ab iisdem Sanctis Vi-
ris conceptam exequi statuit, So-
dalibus quarto voto adstrictis ma-
nendi in pignus sub Paganorum
potestate, si pro Christianorum
liberatione opus fuerit. Quibus
Rex ipse arma sua regia in pecto-

re deferre concessit, & à Grego-
rio IX, illud tam præcellentis er-
ga proximum charitatis Institu-
tum

tum, & Religionem confirmari curavit.

R. Ornatam monilibus, &c.

Lectio viii.

Sed & ipse Deus per Virginem Matrem incrementum dedit, ut talis institutio celerius, ac felicitus totum per orbem divulgaretur, sanctisque Viris floruerit charitate, ac pietate insignibus, qui eleemosynas à Christi fidelibus collectas in pretium redemptionis suorum proximorum expenderent, seque ipsos interdum darent in redemptionem multorum. Ut autem tanti beneficii & institutionis debitæ Deo, & Virgini Matri referantur gratiæ, Sedes Apostolica hanc peculiarem festivitatem celebrari, & Officium recitari indulset, cum alia ferè innumera eidem Ordini privilegia pariter contulisset.

R. Diffusa est gratia, &c.

IN III. NOCTURNO.

R. XM. Beata es Maria Dei Genitrix Patrona, & Auxiliatrix nostra, * Cujus nutu hæc tua ad fidelium redemptionem instituta est Religio.

V. Tua sancta intercessione adjuva nos Virgo immaculata. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Missa ut in Sabbato de tempore præter orationem, cum Gloria, & Cre-

do. In Præfat. Et te in Festivitate.

Dominica I. Octobris.

Festum SS. Rosarii B. V. MARIÆ. MM. Maj.

Omnia dicuntur, ut in Festo B. V. Maria ad Nives, præter sequentia.

Oratio.

Deus, cujus Unigenitus per Vitam, Mortem, & Resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit, & Concede quæsumus; * ut hæc mysteria Sanctissimo Beatæ Mariæ Virginis Rosario recolentes, & imitemur, quod continent, & quod promittunt, assequamur. Per eundem Dominum &c.

Commemoratio Dominica.

IN II. NOCTURNO.

Lectio v.

Cum Albigenis hæresis per Tolosatium regionem impie grassaretur, atque altius in dies radices ageret; Sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validius, auxilium Beatæ Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentissimè petebatur; Cuique

da-

datum est cunctas hæreses interire in universo Mundo, enixis precibus imploravit: à qua (ut memoriæ proditum est) cum monitus esset, ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversus hæreses, ac vitia præsidium; mirum est, quanto mentis fervore, & quam felici successu injunctum sibi munus sit executus.

R. Sicut Cedrus, &c.

Lectio vi.

Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, Oratione Dominica interjecta, distinguimus, & ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per sanctum Dominicum promulgari, auerique cœpit; quem ejusdem Institutorem, Authorémque fuisse Summi Pontifices Apostolicis litteris passim affirmarunt.

R. Quæ est ista, &c.

Lectio vii.

Innumerabiles porrò fructus hac tam salutari institutione in Christianam Rempubicam dimanarunt, inter quos Victoria illa meritò numeratur, quam san-

ctissimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Christiani Principes apud Echinadas Insulas de Turcarum Tyranno potentissimo reportarunt. Nam, cum illa ipsa die ea Victoria relata sit, qua die Sanctissimi Rosarii Sodalitates per universum Orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasque preces de more funderent, iis precibus haud immeritò refertur accepta. Quod quidem, cum etiam Gregorius Tertius Decimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio Beatæ Virgini sub appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur in Ecclesiis omnibus, in quibus Altare Rosarii foret, prima quaque Octobris Dominica Officium ritu duplici majori perpetuò celebrandum indixit; aliique Pontifices Rosarium recitantibus, eisdemque Rosarii Sodalitatibus Indulgentias penè innumeras concessere.

R. Ornatam monilibus, &c.

Lectio viii.

Nuper verò Clemens Undecimus animo reputans insignem pariter Victoriâ anno millesimo septingentesimo decimo sexto in Hungariæ Regno à Carolo Sexto in Imperatorem Romanorum electo, de innume-

ris Turcarum copiis relatam eo die contigisse, quo Festum Dedicacionis Sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem ferme tempore, quo Sanctissimi Rosarii Confratres publicam, solemnemque supplicationem in Alma Urbe ingenti populi concursu, magnaque religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depressione funderent, ac potentem opem Deiparæ Virginis in auxilium Christianorum humiliter implorarent; eam ob rem, Victoriâ illam, nec non liberatam pauld post eorundem Turcarum obsidione Corcyrensem Insulam ejusdem Beatæ Virginis Patrocinio piè censuit adscribendam. Quamobrem, ut hujus quoque tam insignis beneficii perennis semper, & memoria extaret, & gratia; Sanctissimi Rosarii Festum eadem die eodem ritu celebrandum ad Ecclesiam universam extendit. Hæc autem omnia Benedictus Decimus Tertius in Breviario Romano novissimè apponi jussit. Sanctissimam ergo DEI Genitricem cultu hoc eidem gratissimo jugiter veneremur, ut, quæ toties Christi fidelibus, Rosarii precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter superare concedat.

ry. Diffusa est gratia, &c.

In Laudibus, & II. Vesperis commemoratio Dominica.

Missa ut in Supplemento Missalis nostri præter recentiores tres Orationes. Intelligitur hic Dominica 1. Octobris, quæ vel occurrit in Kalendis, vel prima est post Kalendas Octobris SS. Rit. Congr.

Die 2. Octobris.

In Festo S. Ottonis Confessoris & Pontificis Fundatoris Monasterii Alderspacensis.

M. M. Maj.

Ad Vesperas: Omnia de Communi Confess. Pontif. ut habentur in Breviario.

Oratio.

Exaudi quæsumus Domine &c.

AD MATUTINAM.

Omnia de eodem Communi exceptis sequentibus.

Lectioes Imi. Nocturni.

Fidelis Sermo si quis Episcopatum desiderat. &c.

Lectioes II. Nocturni.

Lectio v.

S Otto hujus nominis II, Benburgensis Episcopus ex illustribus Parentibus Bertholdo Comite Andecensi & Sophia Amerthalensi prognatus, pa-
ren-

rentibus præmatum morte amif-
fis peregre profectus, juventu-
tem suam tam bonis moribus,
quàm ingenuis litteris excoluit.
Hinc in aulam Bolesali III. Polo-
norum Ducis adlectus, ab ipso ad
Henricum IV. Imperatorem lega-
tus mittitur, qui Ottonis virtu-
tum fragrantia illectus, ipsum ad
munus Cancellarii promovit, quod
officium eâ virtute gessit, ut non
Imperatori tantum verum etiam
raro exemplo, toti aulæ gratus &
pretiosus fuerit.

*viveni daniel
quidam meo oleo sicut unci aut
Lectio vi.*

DEfuncto interim Ruperto
Babenbergensi Episcopo,
Otto invitus totisque vi-
ribus renitens ab Imperatore
Henrico IV. Episcopus Babenber-
gensis nominatur, & violenter in-
serto in digitum annulo Episco-
pali investitur, sicque ad sedem
Babenbergensem deducitur. Con-
spectâ eminens Ecclesiâ Cathedra-
li, detractis sibi calceis, nudipes,
inter Februarii frigora per longū
viæ spatium incedens, non nisi
humilitate, Episcopo dignâ sedem
suam ingredi voluit.

*nihil possi-
ciel inimicis in ho et filigine
quidam et Llectio vii.*

Perpendens autem indignita-
tem rei, quod nempe pro-
fanis manibus ad Episcopa-
lem Cathedram promotus esset,

Romam se contulit, & ibi ad sum-
mi Pontificis Paschalis II. pedes
prostratus annulum Episcopalem
& virgam pastorem deposuit,
ac temerè occupatæ Sedis veniam
humiliter petiit: quâ benignè ob-
tentâ, & ad reassumendum Epi-
scopatum per obedientiam com-
pulsus, ab ipso Christi Vicario die
Pentecostes Episcopus consecra-
tus fuit. Reversus inde ad sedem
Babenbergensem pietatis operi-
bus, orationibus, jejuniis aliisque
Corporis austeritatibus se totum
addixit; formam factus gregis &
speculum sanctitatis universæ Ec-
clesiæ Dei.

*fructus curiaq Londay
Lecti et Lectio viii. omnium aut.*

INter cæteras ejus virtutes emi-
nebat misericordia erga pau-
peres, quos, quod largius fo-
vere posset, sibi etiam de neces-
sariis multa subtraxit. In ex-
struendis Ecclesiis & fundandis
monasteriis, quorum quindecim,
& inter ea monasterium Alder-
spacense recensetur, omnes ferè
suas opes expendit. Pommera-
nis Ethnicis, non sinè multis la-
boribus & vitæ periculis, maxi-
mo cum fructu Evangelium præ-
dicavit, tandemque ad sedem pro-
priam reversus, laboribus & se-
nio fractus, Ecclesiæ Sacramentis
piissime susceptis, animam Deo
reddidit Anno M. C. XXXIX. Epi-

scopatûs sui trigesimo septimo.
Fastis denique Sanctorum ascri-
ptus est à Clemente III. Anno
MCLXXX. pridie calendas Octo-
bris, ante & post mortem mul-
tis miraculis clarus, *pro felicitate et*
etiam in eodem die. Ut in omni
cura respiciat Felicianus & c.
Lectiões III. Nocturn.
Homilia in Evangelium: Vigila-
te. &c.

Dominicâ zdâ Octobris,

In Festo S. Feliciani Mar-
tyris, cujus S. corpus in Ecclesia
Alderspacensi cultui publico Fi-
delium expositum est.
M. M. maj.

Ad Vesperas omnia de communi
unius Martyris cura Orat. sequenti.
Oratio.

DEus qui nos B. Feliciani
Martyris tui confessione
gloriosa circumdas & pro-
tegis * præstra nobis ex ejus imi-
tatione proficere ⁊ & oratione
fulciri. Per Dominum nostrum
Jesum &c.

AD MATUTINUM.

Omnia de communi, præter se-
quentia:

Lectiões I. Nocturni.

Fratres debitores sumus: &c.
Ut in primo Nocturno de communi
plurimorum Martyrum.

Lectiões II. Nocturni.

Triumphabilis beati Feliciani
Martyris dies: &c. *Ut in zdô No-*
cturno de communi unius Martyris.

Lectiões III. Nocturni,
Homilia S. Gregorij Pa-
pæ in Evangelium secundum
Lucam.

IN illo tempore dixit Jesus tur-
bis: Si quis venit ad me, &
non odit Patrem suum & Ma-
trem. &c.

Ut habetur in communi unius
Martyris.

In utrisque Festi vespersis & ad Be-
neditus: fit commemoratio Dominica
& alterius Festi occurrentis.

12. Octobris.

In Festo S. Maximiliani
Mart. Pontif. Patroni Ecclesiæ &
Diæcesis Passaviensis.
M. M. maj.

Ad Vesperas, Matutinum & Horas
reliquas omnia de communi unius
Martyris ut in breviario: præter se-
quentia. Oratio.

DEus, qui nos B. Maximilia-
ni Martyris, atque Ponti-
ficis aîua Solemnitate læ-
tificas, &c. *ut in eodem communi.*

Lectiões I. Nocturni.

A Mileto Paulus &c. *ut in eodem*
Communi.

Lectiões II. Nocturni.

Le.

Lectio v.

MAximilianus Celeiæ in Pannonia à Christianis & Claris Parentibus natus, ab incunte ætate in timore Dei & litterarû studiis educatus, præclaræ semper indolis & singularis pietatis specimen prætulit. Annis Adolescentiæ cum magna vitæ innocentia, & integritate exactis, cum multis præcelleret virtutibus, benignitas tamen in pauperes maximè in eo enituit, quorum miseris sublevandis nihil intermisit.

Lect. vi.

IN hoc, pauperes fovendi studio eousque profecit, ut opes satis amplas à Parentibus sibi relictas, in usus pauperum Christi ex toto erogaverit. Huius aliarumque virtutum ejus splendor latere sub modio non potuit. Hinc, vacante Episcopatu Laureacensi, communi totius Cleri populique voto Episcopus Laureacensis, ipso frustra reluctante, designatur.

Lectio vii.

Porro in Episcopali munere se erga omnes charitatis affectu, profunda humilitate, invictâ patientiâ, omnique virtutum exercitio exhibuit, quantum dignitatis Sanctitas & celsitudo

postulabat. Ad limina Apostolorum Romam profectus, acceptâ à Sixto II. benedictione, ad suos revertitur: Ubi in colendo agro dominico magnis desudans laboribus sanctissimo vitæ exemplo & salutaribus monitis plures errantes ad salutis tramitem perduxit.

Lectio viii.

Cum itaque jam per Episcopatum suum disseminatæ veræ fidei plantas, incrementum dante Domino, succrescere cerneret, Patriæ, in tenebris infidelitatis adhuc sedentis, miseratus, in Pannoniam revertitur, ubi cum errantes ad viam veritatis dirigere conatur, ab Ejulasio Præfide comprehensus, ob constantissimam Christianæ fidei confessionem capitis obruncatione Martyrii gloriam adeptus est. Ejus sacra ossa postliminiò Passavium translata, in Basilica Cathedrali S. Stephani Protho-Martyris extra Chorum debito honore asservantur.

In III. Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis venit ad me, &c. uti habetur in Communi unius S. Martyris.

AD LAUDES.

Et Horas reliquas, omnia de eodem Communi.

Domini

Dominicâ 3. Octobris.

In Festo Sanctorum Omnium, quorum sacræ Reliquiæ in Monasterio B. V. Mariæ de Alderspach repositæ coluntur.

MM. Maj.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Festo Sanctorum omnium Ordinis nostri, præter Hymnum, qui sumitur de Festo omnium Sanctorum, & collectam propriam, uti sequitur.

Oratio.

Concede nobis, quæsumus omnipotens Deus, * ut omnium Sanctorum, quorum sacras reliquias solemniter devotione veneramus, pia intercessione protegi in terris, & æterna societate perfrui mereamur in cælis. * Per Dominum nostrum, &c.

Commemoratio Dominica occurrentis.

AD MATUTINAM.

Invitat. Hymnus, Antiph. in Festo omnium Sanctorum. RR. verò de Festo omnium Sanctorum Ordinis nostri.

In I. Nocturno.

Stabant Iusti &c. *ut in Communi Martyrum tempore Paschali.*

In II. Nocturno.

Ut in Festo omnium Sanctorum, prima tamen Lectio incipienda est ut sequitur.

Sermo Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Hodie dilectissimi plurimorum Sanctorum, quorum sacræ Reliquiæ hic habentur, sub una solemnitate læticia celebramus festivitatem, &c. *uti habentur in Breviario.*

In III. Nocturno.

De Festo omnium Sanctorum uti habentur in Breviario.

AD LAUDES.

Antiph. Capit. R. brev. ut in Festo SS. Ordinis. Hymnus: Sanctorum meritis, &c. ut in eodem Festo ad Vigiliis. V. Exultabunt Sancti in gloria. &c.

Antiph. ad Benedictus.

Beati estis Sancti Dei omnes, &c. *ut in Festo omnium Sanctorum.*

AD HORAS MINORES.

Omnia ut in Festo Sanctorum Ordinis præter Orationem propriam, uti supra.

AD VESPERAS.

Psalmi ut in secundis Vesp. SS. Ordinis.

Antiph. Capit. R. brev. de primis Vesperis Festi Sanctorum Ordinis. Hym-

*Hymnus : de Feflo omnium Sanctōr.
Reliqua omnia ut in primis Vesperis.*

Die XXI. Octobris.

**In Feflo Sanctæ Urfulæ,
& Sociarum ejus, VV. MM.
MM. Maj.**

*Omnia ut notantur in Breviario
Ord. noſtri præter Lectiones ſecundi
Nocturni, que ſunt ſequentes : ex
Proprio Paſſavienſi.*

Lection v.

GRatiano Imperatore, Flavius Clemens Maximus Romani Exercitus in Britania Dux, arrepta Tyranide, Imperator à militibus acclamatur. Inde copias in Gallias transmittens, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Imperium sibi corroborat. Cùmque Armororum uberem Regionem, ejectis antiquis habitatoribus, Britannicis militibus, quos secum duxerat, divisisset; quò novas Colonias propagaret in posteros, Coniani Britannici Reguli, quem Britannorum Ducem habebat in Exercitu, consilio, missa legatione in Britanniam, singulis militibus novis colonis, singulas Virgines conjugio foederandas postulat.

Lection vi.

Non videbatur Britannia Regulis spernenda hæc petitio, unde in gratiam novi

Imperatoris, & quòd filias suas, nonnisi gentilibus suis, iisque novâ Provinciâ præ divitibus, honestissimè collocandas scirent, pro numero militum, totidem delectæ fuerunt virgines, omnes numero undecim mille, quarum Princeps erat Urfula Dionethi Cornubiæ Regis Filia, desponsata Connano, Duci Britanorum in Exercitu Flavii Clementis Maximi.

Lection vii.

Cunctæ itaque Virgines Londini impositæ sunt navigiis. Solventes autem nautæ, dum armoricorum Regionem cogitant, à sæva procella in germanicum littus dejiciuntur. Contigit verò ibi tunc adesse Hunnorum copias, quas à Gratiano Imperatore contra Maximum evocatas ferunt. Nati ergò Barbari præclarum illud Virginum agmen, impotenti libidinis æstu furentes, in eas irruunt.

Lection viii.

Verùm cum hortante Urfula mortem potiùs oppetere, quam Virginei pudoris jacturam pati decrevissent, Hunni in rabiem Tyrannicam conversi, ad unum omnes trucidant: sicque Urfula super Comitum sua-

H

rum

rum velut margaritarum pretio-
sum acervum gloriosa víctima
procumbens, Purpurâ, pro Chri-
sto fusi sanguinis decorata, Tri-
umphatorem tot Virginum Exer-
citurum, geminis, nempe Virgini-
tatis & Martyrii laureis insignem
ducens, cœlum victrix intravit.
Corpora Heroïanarum haram Co-
lonienses Cives summo honore
condiderunt, earumque illustrem
agonem orbis Christianus, flo-
renti semper memoriâ XII. Ca-
lendas Novembris, quotannis ce-
lebrat.

*Reliqua omnia, ut in Breviario
Ordinis prescripta sunt.*

*Dominica Novembris primò
vacante.*

**Festum Patrocinii B. V.
Mariæ, MM. Maj.**

*Omnia ut in Festo B. V. M. ad Nives,
præter sequentia.*

Ad Magnificat Antiphona.

Sancta Maria! succurre miseris,
juva pusillanimes, refove fle-
biles, ora pro populo; inter-
veni pro Clero, intercede pro de-
voto foemineo sexu; sentiant om-
nes tuum juvamen, quicumque
celebrant tuum Sanctum patro-
cinium, iy.

Oratio.

Deus, qui sub Beatissimæ Vir-
ginis Mariæ Genitricis tuæ
singulari patrocinio Ordini
Cisterciensem ad plurimarum
animarum salutem institui, ejus-
que perpetuis beneficiis cumulari
voluisti, & præsta supplicibus tu-
is; * ut cujus hodie commemo-
rationem colimus, & Illius pro-
tecti auxiliis ad cœlestem gloriam
perducamur. Qui vivis, & reg-
nas cum DEO Patre.

• Commemorat, Dominica.

In II. Nocturno.

**Sermo S. Patris Nostri
Bernardi Abbatis.**

*Ex Sermon. 2. de Virgine Deipara,
aliàs de Aquaductu.*

Lectio v.

Intuere, ô homo! consilium
DEI, agnosce consilium Sa-
pientiæ, consilium Pietatis.
Cælesti rore aream rigaturus, to-
tum vellus prius infudit; redem-
pturus humanum genus, pretium
universum contulit in Mariam.
Ut quid hoc? Fortè ut excusaretur
Eva per filiam, & querela vi-
ri adversus foeminam deinceps
sopiretur. Ne dixeris ultra, ôA-
dam! Mulier, quam dedisti mi-
hi, dedit mihi de ligno vetito;
dic potius; Mulier, quam dedisti
mihi,

mihî, me cibavit fructu benedictio. Piissimum sanè consilium; sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens.

R. Sicut cedrus, &c.

Lectio vi.

Hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens auster ille Divinus, ut undique fluant, & affluant aromata ejus; charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni, & spatiosi: quid nisi caligo involvens, & umbra mortis æ æ densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordiû, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam in hac solemnî ejus festivitate veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem & per omnia pro-

videns miseris, trepidationè nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.

R. Quæ est ista &c.

Lectio vii.

Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas: JESUM tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas, & ad ipsam? Frater tuus est, & carotua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan, & in ipso Majestatem vereare Divinam, quòd, licet factus sit homo, manserit tamen DEUS? Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater.

R. Ornatam monilibus &c.

Lectio viii.

Flamma! Hæc peccatorum scalla, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei

meæ. Quid enim? potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. Invenisti, ait Angelus, gratiam a pud DEum. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia, qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? In hac præcella Genitricis DEI solemnitate quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit invenit, & frustrari non potest.

R. Diffusa est. &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii
secundum Lucam.

Lectio ix.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Sancti Patris No-
stri Bernardi Abbatis.

Serm. 4. in Assumpt. B. Mariae.

Quænam poterit lingua, etiam si angelica sit, dignis

extollere laudibus Virginem matrem, matrem autem non cujuscunque, sed DEI? Duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum: sed dignè prorsus artificissimèque conveniens. Neque enim filius alius virginem, nec DEum decuit partus alter. Vide enim, quàm manifestè sibi concinant Virginis nostræ canticum, & nuptiale carmen: nimirum, cujus uterus sponsi thalamanus fuit. Audi Mariam in Evangelio: Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Audi eandem in epithalamio: Cùm esset Rex, inquit, in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat: ne manifestum sit, humilitatem nardi nomine designari, cujus odor & decor invenerit gratiam a pud DEum?

R. Felix namque. &c.

Lectio x.

Sileat misericordiam tuam Virgo Beata! si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplecti.

timur chariùs, recordamur sapi-
ùs, crebriùs invocamus. Hæc est
enim, quæ totius mundi repara-
tionem obtinuit, salutem omni-
um impetravit. Constat enim pro
universo genere humano fuisse so-
licitam, cui dictum est: Ne time-
as, Maria! invenisti gratiam, uti-
que quam quærebas. Quis ergò
misericordiæ tuæ, ò Benedicta!
longitudinem, & latitudinem,
sublimitatem, & Profundum que-
at investigare?

ꝛ. Beatam me dicent, &c.

Lectio xi.

Longitudo misericordiæ ejus
usque in diem novissimum
invocantibus eam subvenit
universis. Latitudo ejus replet or-
bem terrarum, ut tua quoque mi-
sericordia plena sit omnis terra.
Sic & sublimitas ejus civitatis su-
pernæ invenit restaurationem, &
profundum ejus sedentibus in te-
nebris, & in umbra mortis ob-
tinuit redemptionem. Per te e-
nim cælum repletum, infernus
evacuatus est, instauratæ rui-
næ cælestis Jerusalem, expectan-
tibus miseris vita perditâ data. Sic
potentissima, & piissima charitas,
& affectu compatiendi, & subve-
niendi abundat effectu, æquè lo-
cuples in utroque. Ad hunc igi-
tur fontem sitibunda properet a-
nima nostra; ad hunc misericor-

diæ cumulū tota sollicitudine mi-
seria nostra recurrat.

ꝛ. Benedicta, & venerabilis, &c.

Lectio xii.

Serm. in Nativ. B. V. Mariæ.

Sed quid de ejus supereminen-
tia loquar? Cui enim Ange-
lorum aliquando dictum est:
Spiritus Sanctus superveniet in te,
& virtus Altissimi obumbrabit ti-
bi: ideoque & quod nascetur ex te
Sanctum, vocabitur Filius DEI?
Denique Veritas de terra orta est,
non de angelica creatura; nec An-
gelos, sed femem Abrahæ appre-
hendit. Magnum est Angelo, ut
minister sit Domini; sed Maria
sublimius quiddam meruit, ut sit
Mater. Fœcunditas itaque Vir-
ginis supereminens gloria est, tan-
tòque excellentior Angelis facta
munere singulari, quantò diffe-
rentius præ ministris nomen Ma-
tris accepit. Hanc invenit grati-
am plena jam gratiâ, ut charitate
fervida, virginitate integra, hu-
militate devota, fieret nihilomi-
nùs sine viri cognitione gravis,
sine muliebri dolore puerpera.
Parum est: Quod ex ea natum
est, vocabitur, & est Filius Dei.

ꝛ. Beata es Virgo, &c.

Sequentia S. Evangelii
secundum Lucam.

Cap. ii.

IN illo tempore: Loquente Je-
su ad turbas, extollens vo-
cem. quædam mulier de tur-
ba, dixit illi: Beatus venter, qui
te portavit, & ubera, quæ suxi-
sti. At ille dixit: quin imò bea-
ti, qui audiunt verbum Dei, &
custodiunt illud.

Oratio. DEUS, qui sub Beatissi-
mæ, &c.

*In laudibus, & II. Vesperis comme-
moratio Dominica.*

*Missa ut in Sabbato de tempore præter
Orationem, cum Gloria, & Cre-
do. In Prefatione, Et te in Festi-
vitate.*

*Intelligitur Dominica Novembris
primò vacans, quæ est extra Octa-
vam omnium Sanctorum, & non
impedita Festo MM. sive Maj. sive
Min. Excipitur etiam Dominica
1. Adventus tanquam privilegiata
extra Decembrem occurrens, si præ-
ter hanc nulla alia Dominica ef-
set vacans, intermitteretur eodem
anno Festum Patrocinii. Si Fe-
stum Patrocinii die immediata an-
te Presentationem B. V. sit cele-
brandum, in Vesperis Presentatio-
nis nulla sit amplius commemora-
tio de Patrocinio. Occurrente Pa-
trocinio 18. Novemb. habebitur com-
memoratio Parentum 20. ejusdem
Si ante vel post Festum Patrocinii
(quod etiam de aliis hujusmod.*

*Festis B. V. M. intelligendum) Fe-
stum MM. sive Maj. sive Min. oc-
currerit, habebit imposte sunt Fe-
stum B. V. tanquam dignius utra-
que Vesperas, etiamsi alterum sit
Festum fori, dummodò non sit Fe-
stum Domini sub ritu MM. Maj.*

Dia XV. Novemb.

**In Festo S. Leopoldi Mar-
chionis Austriæ, Confessoris,
& Ecclesiæ Alderspacensis
Benefactoris,**

MM. Maj.

AD VESPERAS.

Omnia de Communi præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Leopoldum ex Principatu, & euri-
s sæculi hujus immacu-
latum ad Regnum cæleste tradu-
xisti, & concede propitius, * ut tuâ
clementiâ ita nos per hæc tempo-
ralia dirigamur. & Quatenus æ-
ternæ vitæ consortes effici me-
reamur. * Per Dominum no-
strum JESUM Christum &c.

AD MATUTINUM.

*Omnia de Communi Confessoris non
Pontif. præter sequentia.*

Lectioes I. Imi Nocturni:

Beatus Vir, &c.

Lectioes II. Nocturni.

Lec.

Lectio v.

Leopoldus Austriae Marchio singularis praekonio pietatis, quae in eo mirifice elucebat, Pius cognominatus, in primo statim aetatis flore ea virtutum initia concepit, quae cum annorum progressu insignem virtutis sanctitatem effloruerunt. Patre Leopoldo defuncto, & Principatus regimiae suscepto, curis licet domesticis & publicis implicatus, pietatis & misericordiae semper & ubique opera pro viribus exercebat, & inter multiplices regiminis sollicitudines immaculatum se ab hoc saeculo custodiebat, temporalia tractans, aeterna disponens.

Lect. vi.

Plissimus iste Princeps Sacerdotes & Viros Religiosos admiranda reverentia & singulari plane honore prosecutus est; Summos quoque Ecclesiae Romanae Pontifices tanta veneratione coluit, ut ab Innocentio II, Romano Pontifice peculiaris S. Petri Filius aestimari, & publice praedicari meruerit.

Lectio vii.

Duo Monasteria celeberrima Claustro-Neoburgense, & Sanctae Crucis in valle nemorosa construxit, & amplissimis

centibus dotavit, aliisque plurimis templis & monasteriis amplissimis Beneficiis succurrit, quam ob causam inter Ecclesiae Alderspacensis noviter tunc surgentis, primos Benefactores in Necrologio ejusdem Monasterii recensitus legitur. Post hujusmodi praecleara erga DEUM pietatis argumenta, cum Austriae Principatum quadraginta annis laudabilissime rexisset, Sacramentis Ecclesiae munitus Anno Christi millesimo centesimo trigesimo sexto terrenam vitam clausit, & ad caelestem Jerusalem transiit.

Lectio viii.

Post mortem, corpore ipsius Claustro-Neoburgi honorifice condito, innumeris miraculis claruit: nam ad Leopoldi invocationem caeci illuminati, surdis auditis, loquela mutis, claudis gressus, variis languoribus oppressis sanitas, captivis libertas restituta fuit. Imo & mortui resuscitati leguntur. Hujusmodi clarissimis Sanctitatis documentis rite recognitis, Innocentius VIII, Leopoldum Sanctorum Fastis adscripsit. Ejus sacra ossa è Maximiliano I, Imperatore è tumulo translata, in eadem Claustro-Neoburgensi Ecclesia debitum honorem asservantur.

Lectiones III, Noctur.

Ho-

Homilia S. Ambrosii.

Bonus Ordo, &c. In Evangelium
S. Lucæ: uti habentur in Festo
S. Ludovici Regis Franciæ 25. Au-
gusti in Breviario Ordinis.

Die IV. Decembris.

In Festo S. Barbaræ V. &
Martyr. MM. min.

*Ad Vesperas, Matutin. & alias
Horas omnia de communi Virgin.
Mart. præter frequentia.*

Oratio.

Deus, qui inter cætera potentia
tuæ miracula, &c.

Lectiones I. Nocturni.

Confitebor tibi Domine Rex, &c.
uti in Breviario de Virg. Mart.

Lectiones II. Nocturni.

Lectio v.

Barbara Virgo, Nicodemia
in persecutione Julii Maxi-
mi passa est. A Patre siqui-
dem suo Dioscuro viro nobili, sed
gentili, in alta & munita turri ob-
egregiam ejus pulchritudinem cu-
stodienda includitur. Ibi balne-
um, & duas fenestras, quibus
lumen exciperetur, fieri, jubet:
Barbara verò absente Patre ter-
tiam addi fenestram, & labri pa-
vimentum crucis imagine ornari
voluit,

Lectio vi.

Reverfus postea Pater, de ter-
tia fenestra quærit. Hic
Virgo occasionem nacta, de
Sacrosanctæ Trinitatis mysterio
multa clarè & divinè differuit, ac
pluribus verbis ad salvificam Chri-
sti fidem Patrem hortatur. Ve-
rùm Pater non solum suæ impie-
tatis stimulis, sed vel maximè Cæ-
saris timore inductus, utpote qui
fidem Christi immaniter perseque-
batur, filiam modis omnibus ad
Idololatriam revocare nititur.

Lectio vii.

Cum verò intentum hoc su-
um assequi non posset, Pro-
vinciæ Præsidi eam tradit,
qui, primò Virginem blanditiis
aggressus, ubi se nil vidit effice-
re, nudam nervis bubalis crude-
liter cædi, dein præacutis testulis
vulnera perficari imperat: hinc
in carcerem retrusa, clarissima
luce, & Christi Domini præsentia
ad reliqua subeunda certamina im-
pudicè confirmatur.

Lectio viii.

Denique cum iterum Præsidi
sisteretur, & constanti-
or in confessione veræ fi-
dei, videretur, ferreis unguis
dilaniatur, ardentes faces admo-
nentur, caput ferreis malleis con-
tunditur, mamillæ præscindun-
tur,

tur, direptis vestibus ignominiae causam per publica loca deducitur. Hisce demum tormentis fortiter, & invictè superatis, à Patre suo, impietatis furore amente capite truncata, gloriosum Martyrii agonem consummavit. Ab origine Adamantio sacris litteris imbuta fuisse traditur.

Lectiones III. Nocturni.

Homil. S. Joan. Chrysof.

Magna quaedam de virginitate, &c.

in Evangel. Simile est Regnum caelorum decem Virginibus, &c. *ut habetur in Breviario de Communi V.V. Mart.*

XVIII. Decemb.

In Festo Expectationis Partus B. MARIÆ V. MM. Maj. AD VESPERAS.

Antiph. Missus est Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph. viii.

Psal. Dixit Dominus.

Ant. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. j.

Psal. Laudate pueri.

Antiph. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, & paries filium. viii.

Psal. Lætatus sum.

Antiph. Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. viii.

Psal. Nisi Dominus.

Capitulum. Isa. II.

Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, * & requiescet super eum Spiritus Domini.

R. brev. Rorate Caeli desuper: * Et nubes pluant Justum. Rorate. &c.

V. Aperiat terra, & germinet Salvatorem. Et nubes, &c.

Hymnus. Conditor alme siderum, &c. *ut in Dominicis Adventus.*

V. Ave Maria gratia plena.

R. Dominus tecum.

Ad Magnificat Antiph.

Spiritus Sanctus in te descendet Maria, ne timeas, habebis in utero Filium Dei, Alleluja. viii.

Oratio.

Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, verbum tuum, Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti: & præstita supplicibus tuis: * ut qui verè eam Genitricem DEI credimus, & ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum, &c.

Commemoratio Adventus, Antiphona. O.

In sine Hymnorum hujus Festi dicatur:

Laus, honor, virtus, gloria DEO Patri cum Filio Sancto simul Paraclito In sæculorum sæcula. Amen.

AD VIGILIAS.

Invitationum. Ave Maria gratia plena: * Dominus tecum.

I

Psal.

Pfal. Venite, exultemus, &c.
Hym. Verbum supernum, &c.
ut in Dominica Adventus.

In I. Nocturno.

Antiph. Ecce! Dominus noster cum virtute veniet, & illuminabit oculos servorum suorum. Alleluja.

Pfal. 8. Domine Dominus noster,

Antiph. Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.

Pfal. 18. Cæli enarrant.

Antiph. Ecce nomen Domini de longinquo: & claritas ejus replet orbem terrarum.

Pfal. 23. Domini est terra.

Antiph. De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.

Pfal. 44. Eructavit.

Antiph. Ecce Deus noster, expectavimus eum, & salvabit nos, Alleluja.

Pfal. 45. Deus noster refugium.

Antiph. Dominus veniet, occurrite illi, dicentes: Magnum principium; & regni ejus non erit finis, DEUS, Fortis, Dominator, Princeps pacis.

Pfal. 47. Magnus Dominus.

✠. Ex Sion species decoris ejus.

✠. Deus noster manifestè veniet.

De Isaia Propheta.

Lectio 1.

Cap. 7.

ET adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in ex-

cellsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parū vobis est, molestos esse hominibus quia molesti estis & Deo meo? Propt. hoc dabit Domin. ipse vobis signū. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

✠. Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de sermone ejus, donec veniat qui mittendus est: * Et ipse erit expectatio Gentium.

✠. Pulchriores sunt oculi ejus vino: & dentes ejus lacte candidiores. Et ipse.

Lectio 11.

Cap. 11.

ET egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renū ejus.

R. Orietur stella ex Jacob : & conſurget homo de Iſrael, & con-
fringet omnes duces alienigena-
rum : * Et erit omnis terra poſ-
ſeſſio ejus.

ŷ. De Jacob erit. qui dominabi-
tur, & perdet reliquias civitatis. Et
erit.

Lectio iii. Cap. 35.

Letabitur deferta & inſua, &
exultabit ſolitudo, & flore-
bit quaſi lilium. Germinans
germinabit, & exultabit lætabun-
da & laudans : gloria Libani data
eſt ei : decor Carmeli & Saron, ip-
ſi videbunt gloriam Domini, &
decorem Dei noſtri. Confortate
manus diſſolutas, & genua debi-
lia roborate.

R. Descendet Dominus ſicut
pluvia in vellus : orietur in diebus
ejus Juſtitia, * Et abundantia pacis.

ŷ. Et adorabunt eum omnes
Reges : omnes gentes ſervient ei,
Et abundantia pacis.

Lectio iv.

Dicite puſillanimis : Confor-
tamini, & nolite timere :
Ecce Deus veſter ultionem
adducet retributionis : Deus ipſe
veniet, & ſalvabit vos. Tunc ape-
rientur oculi cæcorum, & aures
ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet
ſicut cervus claudus, & aperta erit
lingua mutorum : quia ſciſſæ ſunt
in deſerto aquæ, & torrentes in ſo-
litudine. Et quæ erat arida, erit in

ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum,

R. Lætentur cœli, & exultet ter-
ra : jubilate montes laudem, quia
Dominus noſter veniet : * Et pau-
perum ſuorum miſerebitur.

ŷ. Orietur in diebus ejus juſtitia,
& abundantia pacis Et pauperum,
Gloria Patri. Et pauperum,

In II. Nocturno.

Antiph. Orietur in diebus Do-
mini abundantia pacis, & domi-
nabitur.

Pſal. 71. Deus judicium tuum.

Antiph. Dominus dabit benig-
nitatem, & terra noſtra dabit fru-
ctum ſuum.

Pſal. 84. Benedixiſti Domine.

Antiph. Ecce veniet Deus & ho-
mo de domo David ſedere in thro-
no in æternum.

Pſal. 86. Fundamenta ejus.

Antiph. Annuntiate populis, &
dicite : Ecce Deus Salvator noſter
veniet.

Pſal. 95. Cantate.

Antiph. De Sion veniet Domi-
nus omnipotens, ut ſalvum faciat
populum ſuum.

Pſal. 96. Dominus regnavit.

Antiph. De Sion veniet, qui reg-
natus eſt Dominus Emmanuel,
magnum nomen ejus.

Pſal. 97. Cantate.

ŷ. Egredietur virga de radice
Jeſſe.

R. Et ſtos de radice ejus aſcendet.

Sermo S. Patris Nostri

Bernardi Abbatis.

Ex Homilia 2. & 3. super Missus est.

Lectio v.

Femina circumdans virum
Virgo est concipiens Deum.
Vides, quam pulchrè & concorditer sanctorum mira iacta, & mystica dicta sibi invicem concinant? Vides, quam stupendum sit hoc unum de Virgine, & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt. Unus, nimirum; fuit spiritus Prophetarum, & licet diversis modis, signis & temporibus: eandem rem diversi non diverso spiritu, & præviderunt, & prædixerunt. Quod Moyfi monstratum est in rubo & igne, Aaroni in virga, & flore; Gedeoni in vellere & rore; hoc apertè Salomō prædixit in forti muliere, & ejus pretio, apertius Jeremias præcinit de fæmina & viro, apertissimè Isaias declaravit de Virgine & Deo, Gabriel tandem exhibuit ipsam Virginem salutando.

℞. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

℥. Super folium David, & super regnum ejus sedebit in æternum, Et vocabitur.

Lect. vi.

Aperi Virgo sinum, expande
gremium, præpara uterum; quia ecce facturus est, tibi magna, qui potens est: in tantum, ut pro maledictione Israel beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens Virgo, fœcunditatem, quia non auferret integritatem. Concipies, sed sine peccato: gravida eris, sed non gravata: paries, sed non cum tristitia: nescis virum, & gignes Filium. Qualem filium? Illius eris Mater, cujus Deus est Pater. Filius paternæ claritatis erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, & de meo concipies. Confortare ergo Virgo fœcunda, casta puerpera, Mater intacta, quia non eris in Israel ultrà maledicta, neque inter steriles deputata, sed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis generationibus terræ merito beata prædicaris.

℞. Rorate coeli desuper, & nubes pluant justum: * Aperiat terra, & germinet Salvatorem.

℥. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiaë Sion. * Aperiat terra, & germinet Salvatorem,

Lectio vii.

O! Si scires, quantum tua humilitas Altissimo placeat, quan-

quantā te aqud ipsum sublimi-
tas maneat. Angelico te in-
dignā nec alloquid judicares, nec
obsequid. Ut quid enim indebitā
tibi dixeris gratiam Angelorum,
quæ invenisti gratiam apud Deū?
Invenisti quod quærebas, inveni-
sti, quod nemo ante te potuit inve-
nire, invenisti gratiam apud Deū.
Quam gratiam? Dei & hominum
pacem, mortis destructionem, vi-
ræ reparationem. Hæc est ergo
gratia, quam invenisti apud Deū;
& hoc tibi signum: ecce! concipies,
& paries filium, & vocabis
nomen ejus JESUM. Intellige,
prudens virgo, ex nomine filii pro-
missi, quantam & quam specialē
gratiam inveneris aqud Deum. Et
vocabis, ait, nomen ejus JESUM.

R. Emitte Agnum Domine do-
minatorem terræ: * De petra de-
fertur ad montem filiæ Sion.

Y. Ostende nobis Domine mise-
ricordiam tuam, & salutare tuum
da nobis. De petra.

Lectio viii.

Rationem illius vocabuli ali-
us Evangelista ponit, Ange-
lo sic interpretante: ipse e-
nim saluum faciet populum suum
à peccatis eorum. Quis est hic, qui
etiam peccata dimittit? Utinam
& me peccatorem dignetur Do-
minus Jesus annumerare populo
suo, ut saluum me faciat à peccatis
meis! Verè enim beatus populus,

cujus iste JESUS Dominus Deus
ejus, quia ipse saluum faciet popu-
lum suum à peccatis eorum. Vere-
or autem, ne multi se profitean-
tur esse de populo Dei, quos ta-
men ipse non habeat pro populo
suo: vereor, ne plerisque, qui qua-
si in populo ejus religiosiores esse
videntur, ipse aliquando dicat: Po-
pulus hic labiis me honorat, cor
autem eorum longè est à me. Vis
scire, an pertineas ad populū ejus,
vel potius vis esse de populo ejus?
Fac, quæ dicit JESUS, & computa-
bit te in populo suo.

R. Docebit nos Dominus vias
suas, & ambulabimus in semitis
ejus: * Quia de Sion exhibit lex, &
verbum Domini de Jerusalem.

Y. Venite, ascendamus ad mon-
tem Domini, & ad domum Dei Ja-
cob. Quia de Sion exhibit lex, &
verbum Domini de Jerusalem.
Gloria Patri. Quia de Sion exhibit
lex, & verbū Domini de Jerusalem.

In III. Nocturno.

Ad Cantica, Antiphona.

De cælo venit dominator Do-
minus: & in manu ejus honor &
imperium.

Cantic. Ecce! Dominus Dei in
fortitudine veniet, ut in Domini-
ca prima Adventus.

Y. Egredietur Dominus de loco
sancto suo.

R. Veniet, ut salvet populum
suum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio ix.

Cap. i

IN illo tempore : Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Patris Nostri Bernardi Abbatis.

Homilia 4. super Missus est.

Audisti, Virgo ! quia concipies & paries filium ; audisti, quòd non per hominem, sed per Spiritum Sanctum. Expectat Angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Expectamus & nos, ô Dômina ! verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce ! offertur tibi pretium salutis nostræ ; statim liberabimur, si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, & ecce ! morimur : in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat à te ô pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso, hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant sancti Patres, Patres, scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis gemitibus provolutus expectat.

R. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei Verbum : & expavescit Virgo de lumine. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum : * Ecce concipies & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

V. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternū. Ecce,

Lectio x.

Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum ; salus denique universorum filiorum Adam totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Dômina ! responde verbum, quod terra, quòd inferi, quòd expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat, & responsionis assensum, in quam nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi clamet è cælo : O pulchra inter mulieres fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram.

R. Ave Maria, gratiâ plena ! Dominus tecum : * Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi ; quòd enim

ex

ex te nascetur Sanctum, vocabitur
Filius DEI.

ꝫ. Quomodo fiet istud, quoni-
am virum non cognosco? Et respon-
dens Angelus dixit ei. Spiritus.

Lectio xi.

Numquid non hoc est, quod quaerebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando suspirabas? Quid igitur? Tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imò tu ipsa, non alia. Tu, inquam: illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat aeternam, cum dicebat: Expectabo salutare tuum, Domine. In qua denique, & per quam DEus ipse Rex noster ante saecula disposuit, operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offeretur? Quid per aliam expectas, quod per te mox exhibitur, dum modo præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citius Angelo, imò per Angelum Domino.

ꝫ. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: concipies & paries Deum pariter & hominem: * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

ꝫ. Paries quidem Filium, & virginitatis non patieris detrimentum: efficeris gravida, & eris mater semper intacta. Ut benedicta.

Lectio xii.

Responde verbum, & suscipe Verbum, profer tuum, & concipe Divinum: Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere, & suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nul-

latus convenit nunc, ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, præsumptionem: quia etsi gratia in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi Virgo Beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce! desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O! si temerante pertransierit, & rursus incipias dolens quaerere, quem diligit anima tua. Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem.

ꝫ. Nascetur nobis parvulus, & vocabitur DEUS, Fortis: ipse sedebit super thronum David patris sui, & imperabit: * Cujus potestas super humerum ejus.

ꝫ. Multiplicabitur cujus imperium, & pacis non erit finis. Cujus.

Gloria Patri. Cujus.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. *Cap. i.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena! Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus. Jesus. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus.

eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei, Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum, Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ ut supra. **AD LAUDES.**

Antiph. Missus est, &c. ut supra in *Vesp.* *Psal.* Dominus regnavit, cum reliquis.

Capitulum. Egredietur virga &c.

R. breve. Ave Maria gratiâ plena : * Dominus tecum. Ave Maria. * Benedicta tu in mulieribus, & benedictus Fructus ventris tui. Dominus tecum.

Hymnus. Vox clara ecce, ut in *Dominicis Adventus.*

* Spiritus Sanctus superveniet in te. * Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Ad Benedictus Antiphona.

Super solium David, & super regnum ejus sedebit in æternum, viii.

Commemoratio Feria.

Ad Primam Antiph. Ave Maria, &c.

Ad Tertiam Antiphona. Ne timeas Maria, &c.

Capitulum. Egredietur virga, ut supra.

* Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

* Et concepit de Spiritu Sancto.

Ad Sextam Antiphona. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in æternum. i.

Capitulum.

Isaie. 7.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel : * Butyrum, & mel comedet, & ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

* Benedicta tu in mulieribus.

* Et benedictus Fructus ventris tui.

Ad Nonam Ant. Ecce ancilla &c.

Capitulum.

Isaie 45.

Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, & aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul : * ego Dominus creavi eum.

* Spiritus Sanctus superveniet in te.

* Et virtus Altissimi obumbrabit tibi

In Secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, præter quartam Antiphonam, cujus loco dicitur sequens. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam I. *Et loco ultimi Psalmi, dicitur Psal. 131.* Memento Domine David, &c.

Ad Magnificat Antiphona.

O Virgo virginum ! quomodo fiet istud : quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem ? Filiæ Jerusale, quid me admiramini ? Divinū est mysterium hoc, quod cernitis. v.

Oratio. Deus, qui &c. ut supra.

Pro commemoratione Adventus Antiphona. O.

Missæ ut in Sabbat. Advent. Rorate cum Gloria & Credo. *In Presat.* Et te in festivitate. *Commem. fer.*

Si hoc Festum venerit feria quartâ Quatuor Temporum, in fine Missæ legendum est Evangelium S. Joan. iisd SS. Rit. Cong.

F I N I S.

In Festo

B. Vincentij de Rosis

quondam Episcopi Cracoviensis, et postmodum Monachi Cisterc. quod ex indulto SS. Pontificis Clementis XIII. dd. 9. Junij 1764.

Subritu duplicis minoris VIII. Martij celebratur.

Omnia de com. Conf. Pont. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui Beatum Vincentium Confessorem tuum atque Pontificem, Spretis Sæculi pompis, humilitatis gloria decorasti: præsta quæsumus, ut tantæ virtutis proficientes exemplo, ejus meritis cœlestis gloriæ consortes efficiamur. Per Dnum. &c.

IN II. NOCTUR.

Lectio. V.

Vincentius Kadlubkonius Polonus, natus est, ut antiqua acta ferunt, in villa Karvou Diœcesis Cracoviensis Palatinatus Sandomirensis ex vetustissima Rosarum Familia, Patre Bogumito, Matre Benigna, Sanguinis claritate, et pietate illustribus, a quibus in fide catholica, & in timore Domini Sancte educatus plura edidit in ipsis teneris annis Sanctitatis Specimina, innocentia morum, jugi orandi studio, humilitate,

modestia, ac prompta erga Suos parentes obedientia. Adolescens factus, Philosophicis, ac Theologicis studiis imbutus in Academia Cracoviensi lauream doctoralem adeptus est, cum literarum studio Singularem pietatem Semper copulans, otium, et pravorum consortia abhorrens, orationi addictus, Sacramenta frequentans, aliosque christianæ pietatis actus fortissimo exercens.

Lectio VI.

Tanta Sanctimonia vitæ captus Fulco Episcopus Cracoviensis Vincentium inter Suos cooperavit, ejusque opera usus est in regimine Suae Diœcesis, cum præter eximiam vitæ integritatem acri etiam polleret ingenio, singularique prudentia. Sacerdotio initiatus, evesctus fuit ab eodem Episcopo ad Præposituram insignis Collegiætæ Sandomirensis, in qua dignitate omnes Sui muneris partes adeo Sancte adimplevit, ut exemplar factus modestiæ, castimoniæ, aliarumque virtutum, promeruerit designari a Lesco Albo Poloniæ Rege in Oratorem, ut propriam Filiam, beatam Salomeam in Sponsam deduceret ad Regem Haliciæ. Defuncto interea eodem Fulcone Episcopo Cracoviensi, assumptus ille fuit ad eandem Sedem, ejusdem electionem confirmante Innocentio III. Pontifice Maximo.

Lectio

Lectio VII.

In Episcopatu exemplum Se præbuit bonorum operum, et commissum Sibi gregem pascens monitis, consiliis Scientia, verbo, et exemplo, ita infectatus est pravos populorum mores, ut collapsam pietatem in pristinum restituerit, Catholicæ Fidei insignis propagator, et Ecclesiasticæ Jurisdictionis vindex acerrimus. Eximia inclaruit prudentia, charitate, mansuetudine, et misericordia in pauperes. Zelus domus Dei ita illum comederat, ut reparationi, et opportunis Ecclesiarum proventibus impense consulens, nedum ex mensuræ Episcopalis redditibus, sed et de hæreditario patrimonio illas dotaverit. Eximium vero ejus Religionis argumentum fuit, dum insigne erogavit peculium, ut in Templo Cathedralis Cracoviensis lampas accensa coram Altaris Sacramento perpetuò asservaretur.

Lectio VIII.

Decurrente verò decimo ejus Episcopatus anno Evangelii-

cæ perfectionis cupidus in Religiosa castra Secedere decrevit, ut cœlestium rerum contemplationi, et rigidiori vitæ instituto vacare posset. Hinc forti animo, precibus, et lacrymis devicta Capituli, et Populi Cracoviensis contradictione, prævia beneplacito Pontificis Honorii III. omnia Sua dispersit, ac dedit pauperibus: et insignis Episcopalis depositis coram Collegio Canonorum Cracoviensium nudis pedibus profisciscens per decem leucas Se contulit ad Cœnobium Andreoviense, in quo Monasticam vitam Ordinis Cisterciensis professus est, ibique regulari observantia, jejuniis, et cœlestium rerum contemplatione quinque jugiter annis omnibus præluxit, pluribus etiam Super naturalibus donis a Deo locupletatus. Plenus tandem dierum et operum pretiosam in conspectu Domini mortem obivit die octava Martii anno 1223. Fama Sanctitatis, et Miraculorum clarus. Ecclesiasticum ejus cultum rite probatum confirmavit Clemens XIII. Pontifex Maximus, qui et has lectiones proprias, ejus in honorem recitantas concessit.



In Festo

S. Andreae Avellini.

quod X. Nov. celebratur.

Omnia de com. Conf. non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui in corde B. Andreae Confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum admirabiles ad te ascensiones disposuisti; concede nobis, ipsius meritis et intercessione, ita ejusdem gratiæ participes fieri, ut perfectiora semper exequentes ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur. Per Dnum etc.

IN I. NOCTURNO

Lectio. Beatus vir. etc.

IN II. NOCTURNO

Lectio V.

Andreas Avellinus dictus antea Lancellotus, apud castrum novum lucaniæ pagum natus, inter ipsa infantiae primordia futuræ Sanctitatis non obscura præbuit indicia. Adolescens ad litteras addicendas paternæ domo egressus, luhricam illius ætatis semibam, inter bonarum artium studia, ita peregit, ut Sapientiæ initium, quod est ti-

mor Domini, ob oculos potissimum habere, nunquam prætermiserit. Cum egregia proinde forma, eximium castitatis studium conjunxit, quo impudicas sæpe mulierum insidias elusit, interdum etiam apertam vim propulsavit. Clericali militiæ jam pridem adscriptus Neapolim se contulit, ut legalibus disciplinis vacaret, ibique jurisprudentiæ lauream adeptus, atque interea ad Sacerdotalem dignitatem electus, causarum patrocinia in foro duntaxat Ecclesiastico, proque privatis quibusdam personis, juxta Sacrorum Canonum Sanctiones, agere cepit. Verum eum aliquando inter causam agendam levè ei mendacium excidisset, mox vero fortuita sacrarum Scripturarum lectione, in illa verba incidisset: os, quod mentitur, occidit animam, tanto ejus culpæ dolore, ac poenitentia correptus est, ut statim ab ejusmodi vitæ instituto sibi recedendum esse duxerit.

Lectio VI.

Itaque abdicatis forensibus curis, se totum divino Cultui, sacrisque ministeriis mancipavit, cumque Ecclesiasticæ virtutis exemplis emereret, Sanctimonialium regimini, à tunc existente Archiepiscopo Neapolitano præfectus est. Quo in munere, cum pravorum hominum odia subiisset, primò quidem intentatæ Sibi necis

necis periculum declinavit, mox verò per Sicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuria atrocitatem æquo animo pertulit. Tunc perfectioris vitæ desiderio flagrans, ut inter Clericos regulares adscriberetur, suppliciter postulavit, votique compos factus, ob ingentem, quo æstuebat, crucis amorem, ut Sibi Andree Nomen imponeretur, precibus impetravit. Arctioris itaque vitæ curriculum alacri studio ingressus, in eas maxime virtutis exercitationes incubuit, ad quas sese, arduis etiam emissis votis obstrinxit, altero scilicet Suae ipsius voluntati jugiter obstitendi, altero verò in via Christianæ perfectionis semper ulterius progrediendi.

Lectio VII.

Regularis disciplinae Cultor assiduus, et in ea promovenda, cum alijs præesset, studiosissimus fuit. Quidquid ab instituti Sui officij, et Regulæ præscripto supererat temporis, orationi et animarum salutis tribuebat. In confessionibus excipiendis mira ejus pietas, et prudentia enituit, vicis, et oppida Neapoli finitima, evangelicis ministerijs magno cum animarum lucro frequens iustrabat. Quam ardentem erga proximos Sancti Viri Charitatem Signis etiam Dominus illustravit. Cum enim in tempesta nocte, ab audita ægri

confessione, domum rediret, ac pluviae, ventorumque vis præluentem facem extinxisset, non solum ipse cum Socijs inter effusissimos imbres nihil madefactus est, verum etiam inusitato Splendore è Suo corpore mirabiliter emicante, Socijs inter densissimas tenebras iter monstravit. Abstinencia, et patientia, nec non objectione, atque odio Sui summpere præstitit. Necem fratris filio illatam, imperturbato animo tulit, ac Suos ab omni ulciscendi cupiditate composuit, imo etiam pro intersectoribus opem et misericordiam judicum implovavit.

Lectio VIII.

Pluribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumque domicilia Mediolani, et Placentiæ instituit. Illius operam S. Carolus Borromæus, et Paulus de Aretio Clericus Regularis, Cardinales, quibus erat acceptissimus, in pastoralis muneris curis adhibuerunt. Deiparam Virginem singulari amore et cultu prosequabatur. Angelorum colloquio perfrui quos, cum divinas laudes persolveret, è regione concinentes Se audivisse testatus est. Denique post tot heroica virtutum exempla Prophetiæ quoque dono illustris, quo et secreta cordium, et absentia, et futura prospexit, annis gravis, et laboribus fractus, ad aram

cele-

celebraturus in verbis illis tertio repetitis : Introito ad Altare Dei : repentino apoplexiæ morbo correptus est, mox Sacramentis rite munitus, placidissime inter suos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Ecclesia S. Pauli ad hæc usque tempora eo frequentissimo populi concursu colitur, quo fuit elatum. Illum

denique insignibus in vita, et post mortem miraculis clarum Clemens Undecimus Pontifex Maximus, solemni ritu Sanctorum catalogo adscripsit.

IN III. NOCTURNO

Lectio. Dominus dicit. etc. in Evangelium: Sint lumbi vestri. etc.

